Σφάλματα, ἐν τῷ Τύπλῳ, τῆς Ἁγίας τριάδος, ἀντὶ τοῦ Ριχαδσόνῳ, Ῥιχαρδσόνῳ·

προσώπω κεφα· ιζ· ϛοιχ· κ· Κατὰ Ματθαίῳ ἀνάγνωθη οὕτως, ἐὰν ἔχητε πίϛιν, ὡς κόκκον σινάπεως, ἐρεῖτε τῷ ὄρει τούτῳ, μετάβηθι ἐν τεῦθεν ἐκεῖ, καὶ μεταβήσεται·

Μαρκ· κεφα· ιϛ· ϛοιχ· ιη· κἂν θανάσιμόν τι πίωσιν, οὐ μὴ αὐτοὺς βλάψει·

προσώπω μϛ· ϛοιχ· κε· ἐυάριϛος, λέγε ἐυάρεϛος·

προσώπω μη· ϛοιχ· ιϛ· ἀνάθαρτα, γράφε ἀκάθαρτα·

προσώπω λη· ϛοιχ· κθ· Τιμόθε κεφ· ζ· λέγε κεφ· Ε· ϛοιχ· κθ·

ἐν προσώπω μβ· ϛοιχ· ϛ· ἀντι τοῦ ἀναγινωσει, λέγε ἀναγινώσκει·

ἐν προσώπω μϛ· ϛοιχ· ε· τὸ μὴ ἔϛι πλέον ἐν τῇ ἀρχῇ τοῦ ϛοίχου· ἀνάγνωθι οὕτως·

εἴτις τῶν παρθενευόντων διὰ τὸν Κύριον, καταπαίροιτο τῶν γαμηκώτων· Ἀνάθεμα ἔϛω·

Σφάλματα, ἐν τῷ Τύπλῳ, τῆς Ἁγίας τριάδος, ἀντὶ τοῦ Ριχαδσόνῳ, Ῥιχαρδσόνῳ·

προσώπω κεφα· ιζ· ϛοιχ· κ· Κατὰ Ματθαίῳ ἀνάγνωθη οὕτως, ἐὰν ἔχητε πίϛιν, ὡς κόκκον σινάπεως, ἐρεῖτε τῷ ὄρει τούτῳ, μετάβηθι ἐν τεῦθεν ἐκεῖ, καὶ μεταβήσεται·

Μαρκ· κεφα· ιϛ· ϛοιχ· ιη· κἂν θανάσιμόν τι πίωσιν, οὐ μὴ αὐτοὺς βλάψει·

προσώπω μϛ· ϛοιχ· κε· ἐυάριϛος, λέγε ἐυάρεϛος·

προσώπω μη· ϛοιχ· ιϛ· ἀνάθαρτα, γράφε ἀκάθαρτα·

προσώπω λη· ϛοιχ· κθ· Τιμόθε κεφ· ζ· λέγε κεφ· Ε· ϛοιχ· κθ·

ἐν προσώπω μβ· ϛοιχ· ϛ· ἀντι τοῦ ἀναγινωσει, λέγε ἀναγινώσκει·

ἐν προσώπω μϛ· ϛοιχ· ε· τὸ μὴ ἔϛι πλέον ἐν τῇ ἀρχῇ τοῦ ϛοίχου· ἀνάγνωθι οὕτως·

εἴτις τῶν παρθενευόντων διὰ τὸν Κύριον, καταπαίροιτο τῶν γαμηκώτων· Ἀνάθεμα ἔϛω·

Enchiridion

De Institutis Græcorum.

Authore

CHRISTOPHORO ANGELO GRÆCO.

——— δόσις τ' ὀλίγη τε φίλητε
Γίνεται ἡμετέρη ———

BIBL. CANT. ACAD.

Ex officina CANTRELLI LEGGE
Academiæ Cantabrigiensis
Typographi.

M. DC. XIX.

ILLVSTRISSIMIS, SAPIENTISSIMIS, DOCTISSIMISQVE VIRIS, TVM ILLIS, QVI DIVINITVS INSPIRATÆ THEOLOGIÆ TITVLVM MERITO OBTINENT; TVM LEGVM *Doctorib⁹, Medicisq; exercitatissimis; omnibusq;* Philosophiæ, Linguæq; Græcæ, & artium Studiosis, Græcarumq; Literarum ter Maximis *excellentissimisq; Interpretibus, Omnibusq; & singulis qui Græcorum* genti bene cupiunt:

Patribus Suis dilectissimis, optimisq; tum Consilio tum opere Benefactoribus.

Imprimis Sapientissimo Domino GOSTLINO, inclytissimæ & celeberrimæ Academiæ CANTABRIGIENSIS Rectori, Collegijq; Ornatissimi *Caij* & *Gonuelli* Præsidi:

Omnibusque Sapientissimis, Literatissimis, Clarissimisq, Doctoribus, Rectoribus, & Custodibus Inclytorum Collegiorum vtriusq; Academiæ, Magnæ Britanniæ lucidissimorum & fulgentissimorum Luminum, cæterisq; vniuersis dignitate conspicuis, vtriusq; Academiæ alumnis.

Fausta precatur omnia, Supplicatq; humiliter, vt illis, quæ in Libello hoc ab illo scribuntur, Patrocinentur, necessitatibusq; Suis & miserijs subueniant.

Ideoq; hunc Libellum animi memoris perpetuò duraturum testimonium, Gratitudinisq; Monumentum, vtriq; Academiæ florentissimæ Dedicat, consecratq;

Qui propter Fidem Christianam multa verbera, multaq; supplicia à Turcis iniustè pertulit,

CHISTOPH. ANGELVS, Græcus.

ILLVSTRISSIMO, PROFVNDISSIMO, ERVDITISSIMOQVE VIRO, CVI SORS COELESTIS MANNÆ MERITO OBTIGIT, PHILOSOPHIÆ LINGVÆQVE GRÆCÆ, OMNIVMQ; *Scientiarum Antistiti, Maximoq; Præstantissimoq;* Interpreti: Necnon Præfecto amplissimo *celeberrimi, & florentissimi Collegij Sanctæ* TRINITATIS, Græcorum amantissimo, Dilectissimoq; Patri meo & Patrono, *dictis factisq;, Domino Doctori* RICHARDSONO.

Omnibusq; Venerabilibus Magistris & Socijs, Sacro-Sanctæ Theologiæ *aliarumq; artium titulo decoratis, omni virtutum* genere præditis; qui libri huius impressionem *promouerunt. Cæterisq; omnibus Sanctæ &* Indiuiduæ TRINITATIS Alumnis, *respectiuè singulis, pro ipsorum* dignitate, Fœlicitatem.

CVm multi admodùm iampridem aggressi fuerint historiam scribere de moribus, & institutis Græcorum; ex ijsq; alij hoc modo, alij alio modo pro temporum ratione scripserint: con-

contigit vt propter obscuritatem, & vetustatem, historiæ eorum non omnibus manifestæ, atq; perspicuæ fiant: Hac de causa, (O sancta capita) decreui mecum, singula Græcorum, qui hodie florent, gesta clariùs explicare: partim vt, quod vobis, vestrisq; fœliciſsimis, & beatiſsimis fratribus pollicitus sum, adimplerem: partim vt clariùs particulares actiones Græcorum qui hodie viuunt representarem, & Clariſsimis Amicis vestris aliquâ ex parte satisfacerem. Quare oro, obtestorq; vos, vt illa, quæ in hoc libro à me dicta sunt, æquo animo accipiatis, & calamitatibus meis pro humanitate vestrâ succurrere dignemini. De quibus, cùm ob æquanimitatem vestram non dubitem, Libellum hunc, semper memorandum animi mei indicium, gratique animi monumentum, Reuerentijs vestris consecro.

CHRISTOPHORVS ANGELVS
Græcus.

Argumenta Capitum.

De Statu Græcorum hodie viuentium. Cap. 1. Pag. 4
De Tributo. 2. 4
De Liberorum decimatione. 3. 6
De Quadrageſimis Græcorum. 4. 7
De Primâ Quadrageſimâ Græcorum. 4. 7
De Secundâ Quadrageſimâ. 5. 8
De Tertiâ Quadrageſimâ. 6. 8
De Differentiâ trium Ieiuniorum. 7. 9
Quando incipiunt ieiunare in Magnâ Quadrageſimâ. 8. 9
De Nonâ Dominicâ. 9. 9
De Octauâ Dominicâ, & ſeptimâ Hebdomade ante Paſcha. 10. 10
De Diebus Mercurij, & Veneris. 11. 11
De Precatione per totum annum factâ in Feſtis, & Dominicis. 12. 12
De Differentijs Ieiuniorum. 13. 13
De Diebus in quibus non ieiunant. 14. 13
De Archburch. 15. 14
De Diebus Renouationis. 16. 14
De Conſecrationibus Sacerdotum. 17. 15
De Confeſſione populi peccatorum. 18. 16
De Orationibus Græcorum. 19. 16
De Modo confitendi peccata ſacerdoti. 20. 17
Quomodo Populi accedũt ad participationẽ Cœnæ Domini. 21. 18
De Baptiſmate apud Græcos. 22. 19
De Excommunicatione Græcorum. 23. 20
Hiſtoria de Monte tranſlato in partibus Ægypti precante Patriarchâ Chriſtianorum, & de veneno quod imbibit idem religionis cauſâ. 24. 22
De Monachis. 25. 24
Interpretatio Primi Ordinis Monachorum. 26. 25

De

Argumenta capitum.

De Habitu Monachorum. 27.36
Interpretatio Voluntariæ Mortis. 28.36
De Secundo Ordine Monachorum. 29.28
De Tertio Ordine Monachorum. 30.29
De Virtutibus Exercitatorum. 31.30
De Virtute Electorum Monachorum. 32.31
De Ieiunio Primi, & Secundi Ordinis Monachorum. 33.31
De Tertio Ieiunio Tertij Ordinis Monachorum, qui vocatur Ordo Exercitatus, id est, Ordo Perfectiorum Monachorum. 34.33
De Quadragesimis Monachorum. 35.33
De Vigilijs Festorum per totum annum. 36.34
Quibus Ritibus consecrantur Monachi. 37.34
Utrum liceat seipsum consecrare Deo. 38.36
Si Contigerit Monacho peccare quisnam erit finis. 39.36
De Inuentione Monachorum, id est, quando incepit Monastica institutio. 40.37
De Abstinentiâ à Carne. 41.41
De Lege Dei. 42.44
Quo tempore Graci obseruant Pascha. 43.45
De vitâ Patriarchæ, & Magnorum Sacerdotum. 44.49
De Metropolitanis, & Archiepiscopis. 45.50
De Episcopis. 46.51
De Sacerdotibus. 47.ibid.
De Laicis qui cupiunt Hiero-Diaconatum. 48.52
Quomodo dormiunt Monachi. 49.ibid.
Narratio verissima de Damonio eiecto à sacerdotibus. 50,53

Vam pulchra res est, & sanctorum Martyrum, & confitentium memoriam in medium producere, veluti inquit *Paulus*, Philip.3.1. *Fratres imitatores mei estote:* & *Salomon* in Prou. 29. *Laudatis iustis gaudebunt populi:* hoc est quoniam legendo vitam martyrum & confitentium in festis sanctorum homines gaudent, quando scilicet audiunt de certaminibus martyrum,& quòd martyres vicerint per patientiam, & validi fiunt etiam ipsi ad sustinendum tentationes, veluti & martyres. Quemadmodum Græci hodie sustinent multas tentationes Turcarum propter amorem Christi, veluti & ego passus sum. At verò, quoniam legi & scripsi vitas sanctorum martyrum, quando communes inimici veritatis & piæ fidei me apprehenderunt, vt interficerent propter fidem in Christum, recordatus sum ego patientiam Martyrum sanctorum, & omnino morti tradebar, & per gratiam omnia cernentis Christi veri Dei nostri, per vnam horam mortuus mansi flagris Turcarum. Et rursus, post horam Omnipotens mihi vitam largitus est,sicut Græci Athenienses audiuerunt ab ore Turcarum, qui in me tyrannidem exercuerant,& dixerunt mihi, quæ audiuerunt, quòd vnam horam mortuus mansi flagris Turcarum, & non negavi Christum esse verum Deum, sicut scribitur argumentum in libello meæ passionis. Nunc verò gratia Christi gaudeo in meis afflictionibus roborante me Christo, veluti in Actis Apostolorum scribitur, cap.5. *Et postquam vocâssent ad se Apostolos, vbi verberassent, imperabant vt ne loquerentur in nomine Iesu, & demisêrunt illos.* Hi igitur abierunt gaudentes à facie concilij,quoniam propter nomen

eius digni habiti sunt, qui dedecore afficerentur, vt in Isaia, cap. 43. ducant martyres suos & iustificentur. Gaudemus enim quòd martyres iustificentur propter sua certamina, vt inquit *Iohannes* in Reuelatione, Qui vicerit, faciam eum columnam in Templo Dei mei, cap. 3. 12. *Expositio prima.* Sed inuestigemus iuxta interpretationem huius temporis Græcorum, quid significat columna (si verò longior fuerit oratio, condonate ô sacra capita.) *Salomon* in Prou. 9. interpretatur hanc columnam variè; dicens, *Sapientia ædificauit sibi domum, & firmauit columnas septem:* Sapientia significat filium inuisibilis Patris; Domum suam suiipsius carnem & sanctam suam Ecclesiam, per Columnas septem innuit septem choros sanctorum quibus consistit sancta Ecclesia Christi, quorum primus chorus est sanctorum Apostolorum: secundus sanctorum martyrum, quoniam *Paulus* dicit ad *Philippienses*, cap. 2. v. 29. 30. *Tales honore afficiatis, quoniam propter opus Christi morti appropinquauit:* tertius Prophetarum: quartus sanctorum Archiepiscoporum, & sacerdotum, & sanctorum diaconorum: quintus confitentium, non mortem obeuntium, sed propter amorem Christi militantium: sextus chorus virginum, veluti inquit *Iohannes* in Reuel. 14. v. 2. *Et cum ipso centum quadraginta quatuor millia: Virgines enim sunt, nunquam inquinati sunt cum mulieribus:* septimus est iustorum.

Secunda Expositio. Quare *Salomon* vocauerit hos septem choros columnas. Vocauit illos *Columnas* metaphorâ ab ædibus ducta: quoniam velut columnæ fulciunt domum, sic & sancti fulciunt Ecclesiam Dei per sua bona opera; (veluti è contrario destruunt mali domum Dei suis malis operibus, vt inquit *Paulus*; *Dedecore afficitur Deus malis vestris operibus:* Et rursus, *Non nouistis quod corpora vestra Templum Dei sint, & qui destruxerit Templum Dei, destruet hunc Deus?* vt & rursus, *Neque scortator, neque fur, neque maledicus*, (hoc est conuitiator & derisor) *regnum Dei hæreditabit.*) Sed ad institutum regrediamur: dicit enim *Iohannes* de *septem* columnis, *qui vicerit, faciam illum columnam*; hoc oportet intelligere sicut Apostoli

posloli militiæ principes erant. Sic etiam in numero primum locum occupant. Primus chorus est Apostolorum. Secundus martyrum, quoniam *Paulus* dixit, *& tales viros omni honore dignos habetis, qui propter Christi opus ad mortem festinarunt*, & ideo dicuntur secunda columna. Tertius chorus est Prophetarum, quippe quòd prædicant Euangelium, & parant viam Domini; & confirmant Christianos per prophetias suas. Quarta columna est eorum qui sacris præsunt, & sacerdotum, & diaconorum, eò quod pascunt, baptizant, & docent populum Dei, & eum in fide Christi confirmant. Quintus chorus est confessorum, quia confitentur Christum verum esse Deum, in carcere, in supplicijs, & Christiani eorum confessionibus confirmantur. Sextus chorus est virginum, quoniam multi peccatores, fures, & latrones videntes virgines, quomodo ieiunant, quomodo vigilant, quomodo preces fundunt, quomodo vivunt minimo sumptu; multi inquam festinanter de peccatis suis pœnitentiã agunt: Sicut etiam in *Græcia* multa inueniuntur monasteria, & multi prædicti homines nequissimi; cum viderint monachos in monasterijs, & in desertis locis ieiunantes, vigilantes, orantes, misericordia aliorum commotos, illorum exemplis resipiscunt; & ex illis nefarijs homuncionibus, fiunt derepente monachi, & moriuntur in pœnitentia, & saluantur (quod verisimile est;) idcirco vocatur iste chorus virginum columna Ecclesiæ. De his monachis dicit *Iohannes*. Reuel. cap. 14. *Et vidi, & ecce agnus stans in monte Sion, & cum illo centum quadraginta quatuor millia, &c.* vers. 4. *hi sunt qui cum fœminis non sunt polluti, sunt enim virgines: hi sunt qui sequuntur agnum quocunq; proficiscitur:* hoc est, in summa simplicitate vivunt hi monachi, vt agni innocentes, & à passionibus liberi & hoc est quod dicit *Iohannes, hi sunt qui sequuntur agnum quocunq; proficiscitur.* Septimus chorus est iustorum, id est, bonorum laicorum, quoniam etiam ipsi prudenter viuunt, & sunt hospitales & misericordes, vt multi viri impij seruentur eorum misericordia: & hi etiam confirmant ecclesiam exemplo saltem suo, ideoq; vocatur hic chorus columna septima: Et si

velimus agere & pati hæc omnia cum eueniunt, tum videbimur imitatores *Pauli*, & columnæ Ecclesiæ Christi. *Deo autem gratia.*

CAP. 1.

De statu Græcorum hodiè viuentium.

GRæci veteres audiuerunt Euangelistam *Iohannem* in Apoc. 13. vers. 1. dicentem. *Et vidi de mari bestiam ascendentem, & illi datum est bellum mouere cum sanctis, & eos vincere. Et illi data est potestas in omnem tribum, & linguam & gentem, & adorauerunt eam omnes qui inhabitant terram, quorum non sunt scripta nomina in libro vitæ Agni, qui occisus est ab origine mundi: Si quis habet aurem audiat. Qui in captiuitatem duxerit, in captiuitatem vadit: qui gladio occiderit, oportet eum gladio occidi:* & quæ sequuntur. Hanc ipsam, & multas alias id genus virorum sanctorum prophetias habentes Græci, quando viderunt Turcas venisse, dixerunt, Hæc est bestia vt dicit Iohannes, & cum Turca pugnare noluerunt. Aliquantisper in principio dimicabant, sed postea traditi sunt, & ob hanc causam in captiuos non abierunt. Similiter & omnes suas facultates secum asportabant, & à rege Turcarum omnia emebant. Hoc idem fecerunt monachi, & redemerunt monasteria, & agros, domos, & quicquid antea possidebant. Ideoq; ad hunc vsque diem, veteres omnes libros retinent, & patrum leges, & custodiunt, & viuunt quemadmodum olim Christiani & Monachi, siquando Christiani regnum obtinuerint. Sed ad propositum veniamus.

CAP. 2.

De tributo.

EMaribus vnusquisque Turcarum regi tributum soluit, fœminæ verò item: scilicet, quòd in vnâ domo viri habitant ab annis viginti, & supra: sex solidos annuatim pendunt. Quod si iuuenes, hi ætatis annos quindecim nati, tres tantũ, sin quindecim præterierint, quatuor aut quinq; tribuũt, vsq;

dum

dum ad annos viginti pervenerint. Hoc autem vectigal ideo dare volunt, quoniam dicit Dominus, *Prudentes estote sicut serpentes.* Hoc enim illi consuetudinis habent, vt siquis aliquem serpentem obtruncare conetur, ille quantum possit aufugiat: iam si totum corpus abscondit, bene habet; sin minus, hoc vnicum contendit, vt caput saltem protegatur, reliquum corpus exponit amputandum. Hoste verò adveniente, caput eius à cæteris corporis partibus separatur, & circumgreditur sine corpore, & sicubi gramen esse cognouerit, illic dilabitur, & graminis adminiculo decerpti, reliquias corporis abscissas adinuenit. Hinc vngit obtruncatas partes, & capiti conuersus coaptat corpus, vsquedum resarciat omnia, & ipse perfectè sanus existat. Ad hunc modum Græci computant pro capite fidem, pro corpore diuitias habentes. Quòd si hostis aduenerit, vt cultus gratia internecioni dedat, illi quo melius religionem intactam custodiant, serpentis more corpus, id est, facultates exponunt, & caput muniunt. Quemadmodum verò serpens post abitum inimici reliquum corpus (antea quasi mortuum, atq; vt ignem cinere obductum) excitat: ita fides vbi secundò redierit, & animam & corpus erigit. Meminerunt etiam quòd Iohannes ait, Apoc. 7. 14. *Hi sunt qui venerunt de tribulatione magna, & lauerunt stolas suas, & dealbauerunt eas in sanguine Agni.* Porro & aliud vectigal tribuunt. Quando scilicet exercitus ad bellum exeunt, numulos quosdam conferre ad emendum panem & carnes consueuerunt, quibus milites sustineri possint, vectigal tamen non æqualiter ex omni parte contribuunt: sed modo minam, modo decem solidos in vnaquaque domo, nonnunquam verò plus exercitus habita ratione. Sed neq; singulæ domus in hoc vectigale pariter ac priori conferunt. In eo diuites & pauperes etiam eandem summam persoluebant, in hoc autem vltra vires nemo erogat. Est & aliud quasi debitum: Quando nimirum regni exploratores ad exigenda à Christianis tributa demittuntur, in ipso itinere Christiani qui illic habitant, cibum exhibent. Et hæc de vectigalibus.

CAP. 3.

Nunc de liberorum decimatione.

Liberorum decimatio sic se habet. Cum primum Turca in Græcos dominium exercebat, in vnaquaq; ciuitate ac regione domuum rationem exigebat, & per singulos quatuor annos, ex decem domibus vnum è liberis accipiebant. Erant tunc temporis in vna ciuitate centum domicilia: ex decies decem domicilijs vnum eligebat. Præterea post annos quatuor exactos decem alios liberos è secunda scil. è sequenti domo non illa priori vbi antea desumebat. Atque ita faciunt singulis quatuor annis donec centum domi impleantur. Et tunc rursus incipiunt pueros accipere, ex prima domo, donec redeant iterum ad primam domum. Prætereunt autem quadraginta anni, & post quadraginta annos rursus reuertuntur ad primam domum, & hoc modo faciunt & apud reliquas domos regiones & ciuitates. Est & alius mos iniustitiæ ad colligendos pueros, *viz.* cum *Ianisarij* egrediuntur à rege ad colligendos pueros per subiectam sibi prouinciam, ex qua licet illos colligere. Prætereuntes autem, intra prouinciam suam quotquot pueros in via inueniunt, accipiunt sine decimatione, dicentes: Hi pueri nostra sunt præda. Si verò accidat, vt pueri aliqui inter eos qui iniuste deprehendantur, ex ijs sit ædibus, quæ puerum futuræ sunt præbere; tunc nullum alium puerum volunt accipere ex illis ædibus, ex quibus erat ille puer, quia non licet illis, pueros geminos accipere ex vna domo in eodem anno; ideoq; cum audiant patres puerorum quod veniunt *Ianisarij* ad colligendos pueros, antequam veniant abscondunt suos pueros, hos quidem in montibus, illos in ædibus magnorum primatum Turcarum, quia illi Primati, ciues sunt, & amici Græcorum, hancq; ob causam cupiunt filios Græcorum intactos seruare, & sic postea dant suos pueros. Aliquando fugiunt tantum pueri in montes, & *Ianisarij* accipiunt vel matrem pueri, vel patrem ipsius, & puniunt illos ad mortem. Et quando audiunt pueri quomodo puniuntur parentes sui, ipsi

pueri ſponte veniunt, & traduntur, aliquando moriuntur parentes puerorum ex ſupplicio propter ſuos pueros: & hæc quidem de pueris.

CAP. 4.

De Quadrageſimis Græcorum.

HAbent quidem Græci quatuor Quadrageſimas in vno anno. Prima vocatur Magna & Sancta Quadrageſima: hoc eſt per Quadraginta octo dies ante Paſcha. Ieiunant autem in illa Sancta Quadrageſima ſicca edentes propter decimationem animæ. *viz.* vt homines dant regi decimum pro ſuis opibus, ſic inſtituit Sanctum & generale Concilium primum Nicenum ieiunare pro anima vnum diem è decem diebus per totum annum, pro decimatione animæ erga Deum, viz. decimam animæ deo dare, vt hîc tercentum Sexaginta quinque dies anni per decimationem vnius diei fiunt triginta ſex dies, vt hoc exemplo patet:

$$\left.\begin{matrix}365\\10\\10\end{matrix}\right\} 36) \text{ triginta ſex dies fiunt.}$$

Rurſus, ſeptem ſeptimanæ per quinque dies multiplicatæ fiunt triginta quinque dies, vt ſic 7. ſeptimanæ 7. 35. hoc eſt, ſepties quinque fiunt triginta quinque. Si vnus verò dies relinquatur à triginta ſex diebus, non numeramus: quare die Enuntiationis edũt piſces, & conviuijs indulgent ob gaudium Enuntiationis, ideoque manent tantum puri triginta quinque dies pro decimatione anni, qui fiunt ſepties quinq; triginta quinque dies. Quoniam per ſeptem ſeptimanas ieiunant ante Paſcha per quinque dies vnaquaq; hebdomada, viz. die Lunæ, Martis, Mercurij, Iouis, & Veneris: Saturni vero, & Solis diebus non ieiunant, quod edunt oleum, & bibunt vinum, idq; bis vno die, ideoq; non dicuntur ieiuniorum dies, ſed ſecundum quid tantum. Aliqui autem Laicorum in illis quinque diebus ſeptimanæ edunt oleum, & bibunt vinum, quod nulla cura eſt illis de Decimatione animarum. Differunt autem ieiunia Monachorum à ieiunijs

Lai-

Laicorum, quod Laici possunt aliquando edere oleum, & bibere vinum in illis quinq; diebus, & indulgentiam accipere à spirituali (Sacerdote) cum confiteantur illi particulariter sua peccata. Monachis verò non licet edere oleum & bibere vinum in illis quinq; diebus: Sed cùm confiteantur, secundum canones puniuntur, nisi intercedat morbus aliquis, vel alia quæuis necessitas.

CAP. 5.

De secunda Quadragesima.

SEcunda autem Quadragesima, vocatur Quadragesima dierum quod per quadraginta dies ieiunent ante Natiuitatem Christi. Ieiunant quidem in illis diebus, primò quidem in honorem Christi: Secundò, quod *Moses* ieiunauit quadraginta diebus, & tunc dignus fuit, qui cum Deo loqueretur: & tabulas Decalogi lapideas acciperet. Ad exemplum nostrum. Illic quidem *Moses* ieiunauit quadraginta dies, vt loquatur cum Deo & tabulas acciperet. Nos autem iam ieiunamus tot dies, vt Christo nato pro peccatis nostris obuiam daremus, vt Magi cum donis, & vt pastores loquuti sunt cum Angelis, & digni fuerunt qui exercitum Angelorum viderent & adorarent Christum. Nos ita confitentes peccata, & ieiunantes, & supprimentes corpus nostrũ, Christum adoremus.

CAP. 6.

De tertia Quadragesima.

TErtia Quadragesima vocatur quadragesima Sanctorum Apostolorum *Petri* & *Pauli*. Incipit autem hæc quadragesima post Pentecosten Septimana vna; & continuatur ad vicesimum nonum diem mensis Iunij, *viz.* ad festum *Petri* & *Pauli*.

Quarta autem Quadragesima incipit à primo die Augusti & continuatur ad decimum quartum diem eiusdem, quoniam decimo quinto die agunt magnum festum Deiparæ, quod illo die, Deipara ascendit à terrenis ad cœlestia, à corruptibilibus

bilibus ad incorruptibilia. & iuit ad filium suum, & Dominum nostrum Iesum Christum & Deum nostrum, Amen: in illius autem honorem ieiunant per quatuordecim dies.

CAP. 7.

De differentia trium ieiuniorum.

DIfferunt autem duo ieiunia à magna Quadragesima, quòd in quadragesima Natiuitatis Christi, & *Petri* & *Pauli*, edunt pisces idq; bis vno die: In Quadragesima autem virginis non edunt Pisces, sed tamen edunt bis vno die.

CAP. 8.

Quando incipiunt ieiunare in magna Quadragesima.

INcipiunt autem ieiunare hoc modo decima dominica ante Dominicam Paschatis, *viz.* nona septimana ante Pascha: (vocatur illa Septimana, Septimana Præuocatio, & dominica Publicani, & Pharisæi) quapropter in illa Decima Dominica legunt Euangelium de Publicano, & Pharisæo, vt discant humilitatem, & seipsos humiliare, & non iudicare, & castigare alios, vt Pharisæus iudicauit, & pœnas dedit iudicans Publicanum; & cantant à vespera, & in crastino anteluca-no (id est, die decimo dominico ante Pascha) hos cantus, magna, siccaq; voce, sæpè & melodicè vtq; omnes audiant: Pharisæi fugiamus iactantiam, Publicani addiscamus humilitatem, & reliqua eiusmodi: & incipiunt confiteri peccata sua, & peccatis inimicorum suorum veniam dare, vt sint puri corde quando incipiunt ieiunare.

CAP. 9.

De nona Dominica.

SEquenti Dominica (quæ est nona Dominica ante Pascha & octaua Septimana vocatur illa Dominica Aduentus se-

cundi & Iudicium Domini noſtri Ieſu Chriſti.) Quapropter in hoc die legunt Euangelium. *viz.* Tunc videbitis filium hominis venientem in nubibus; & reliqua ex ordine. Et prophetiam *Danielis* prophetæ, *viz.* Ecce throni poſiti erant, & antiquus dierum ſedebat & libri aperiebantur ad iudicium, &c. Et legunt in Eccleſia hæc verba Chriſti, & prophetiæ *Danielis* voce ſiccâ & magnâ canentes, ita vt omnes audiant, & tremant nonnulli, quòd ſcilicet audiant omnes, quòd iudicium & retributio iam propè ſint. Similiter & conuiuia celebrant plurimùm hac dominicâ, & eleemoſynas faciunt multas, & inimicis ignoſcunt, & amicitiam ineunt cum inimicis ſuis, & nequaquam volunt iuſticare, & calumniare poſt iunctam amicitiam, neq; iniuriarum recordari per totam ſuam vitam, quòd *Paulum* audiant dicentem; *Neq; fur, neq; maledicus, &c. regnum Dei hæreditabunt.* Vocatur & hæc Dominica Carniuora, quoniam hoc die eſt carniſpriuium, quòd in illo craſtino (id eſt) die Lunæ incipiunt ieiunare à carne tantùm, & edere oua, lac, caſeum, butyrum, & reliqua eiuſmodi cibaria quæ à carne proueniunt per totam Septimanam die Saturni, & die Solis, quæ vocatur dominica octaua ante Paſcha, & Septimana ſeptima ante Paſcha.

CAP. 10.

De octaua Dominica & ſeptima Hebdomade ante Paſcha.

OCtaua Dominica ante Paſcha vocatur Caſei dominica, eò quòd edant caſeum, & oua, & omne genus Lacticinij; & huic diei valdè gratulantur Græci, quòd craſtino die, id eſt, die Lunæ, incipiunt ieiunare. Vocatur ille dies Adami exitium, eò quòd illo die legitur Adami exitus; hoc eſt, quomodo Adam & Eua edebant ex arbore cognitionis, & per effrænem illam edendi libidinem eijciebantur è Paradiſo: quomodo neglexerunt ordinationem Dei, ideoq; exulabant, & quòd poſt exitum deceſſit Adam è Regione Paradiſi, & lamentatus eſt quomodo decipiebatur, per fœdam edendi

di

di voluntatem, ecq; modo factus est seruus Diaboli, quomodo primùm rex nunc famulus Diaboli euasit per edendi cupiditatem, vt interpretatur Diuinus *Chrysostomus* de ieiunatione, & magnus *Basilius* in suis exercitationibus, vt *Esau* ob pauxillum iusculi primogenituram vendidit; vt *Hebræi* ex desiderio edendæ carnis edebant, & venit ira Dei supra ipsos, & periebant quatuordecim millia in vno die spiritualiter & corporaliter per desiderium carnis, & reliqua eiusmodi millia, ideoq; faciunt magnas eleemosynas, & miserentur inimicorum suorum (vt priùs diximus) & nunc hæc faciunt, vt sint puri corde quando incipiunt ieiunare. Incipiunt autem ieiunare die Lunæ, id est, in primo die septimæ septimanæ ante Pascha, & ieiunant per dies quinque, viz. per diem *Lunæ*, *Martis*, *Mercurij*, *Iouis*, & *Veneris*, ieiunant autem ficea edentes, id est, edunt fabas, cicerculas cum aceto, olera coquunt cum aqua, & edunt cum aceto, vuas aridas, ficus, poma arida, pyra arida, cerasos aridos, & mel. Hæc omnia aquâ coquunt simul: edunt quidem fructum, sed potant iusculum vt vinum, &c. Die verò *Saturni*, & *Solis*, (quæ vocatur Dominica) edunt oleum, & bibunt vinum, & hoc modo viuunt per vnamquamque septimanam vsque ad Pascha.

CAP. II.

De diebus Mercurij & Veneris.

AGunt autem ieiunia per duos alios dies vnaquaq; septimana per totum annum, viz. per dies Mercurij & Veneris. Die Mercurij ieiunium agunt, quòd illo die *Iudas* accepit pecuniam vt Christum prodat, & contristantur cum Christo per ieiunia. Die autem Veneris, quòd eo die crucifixus est Christus, & condolent cum Christo, quòd dicat scilicet Christus, *Cum sponsus ablatus fuerit ab illis, tunc ieiunabunt discipuli mei.*

CAP. 12.

De precatione per totum annum facta in Festis, & Dominicis.

VNoquoq; die Saturni, & in reliquis festis totius anni, ad vesperam solent Græci ire ad templum. Similiter & omnes Græcæ mulieres, pueriq; exurgunt de mane, id est, secunda hora post mediam noctem in omni Dominica, & festo, vt petant templum: & relinquunt domi vnum puerum, vel ancillam vnam, quæ domum custodiat, & pernoctant ipsi illic ad matutinum tempus canentes. Sole autem exoriente, egrediuntur, & domum redeunt; sedent otiosi, & neq; edunt, neq; bibunt, vsque ad nonam horam à media nocte. Nonâ autem horâ sacerdos præcurrit ad templum, & præparat illa, quæ pertinent ad liturgiam, & accipit vnum panem, quem mulier, vel homo purus pridiè fecit, hoc est, aliquis vir qui heri rem non habuit cum vxore sua; vel mulier, quæ non cum viro, id est, in nocte Saturni, aut aliter à vespera diei Veneris vsque ad matutinam lucem diei Saturni non coiêrunt. Ille vir, vel illa mulier, pinsit & subigit farinam, & facit illum panem in die Saturni, vel alio die. Oportet enim purum eum esse qui hunc panem facturus est: antequam in furnum hunc panem conijciat, signant cum quodam ligno insculpto cum literis, viz. *Iesus Christus vincit:* & tunc in furnum conijciunt signatum cum literis illis, viz. *Iesus Christus vincit.* Hic autem panis significat virginem: sicut virgo erat pura, sic & panem illum oportet pinsere hominem purum; & hunc purum panem accipit Sacerdos in manus suas, & benedicit dicens, In memoriam Sacrosanctæ intactæ Dominæ nostræ Deiparæ, &c. & alias preces, & consecrat virgini panem illum, & post hæc habet Sacerdos paruam hastulam in formâ hastæ, quâ transfixêre milites Christum, & accipit sacerdos illam hastulam, & scindit partem aliquam quadratam ab exteriore pane, qui quidem eiusmodi literas intus in se continet, *Iesus Christus vincit:* in signum Christi qui ex Maria Virgine

gine natus est,& ex hoc pane Eucharistiã constituit. Eucharistiâ autem administratâ, sacerdos vel Diaconus maiorem illam partem panis,quæ relicta fuerit,in minusculas discindit partes, de quo quidem pane dicimus,esse eum corpus beatæ virginis: & ex isto pane distribuit omnibus ijs qui corpus Christi acceperint, ijsq; quotquot per istum diem ieiunauerint; qui nihil quicquam vel comedêrunt,vel bibêrunt. Appellant autem panem huiusmodi *Remunerationem*, quia dant illum omnibus ijs,qui Cœnæ Dominicę non sunt participes, vt donum aliquod quod solùm est diuinum. His peractis è templo egrediuntur, atq; iterum ad vespertinas preces congregantur, quæ consuetudo per totum terrarum orbem inoleuit.

CAP. 13.

De differentiis ieiuniorum.

ET præterea ieiunant decimo quarto die Septembris in honorem Crucis,quæ illo ipso die inuenta fuit,eamq; reuerenter osculantur, & celebrant festum Crucis à lacticinijs ieiunantes, quoniam eodem die volunt ieiuni osculari Crucem Christi. Ieiunant etiam quinto die Ianuarij ab omni lacticinio, quia sexto die eiusdem mensis baptizatus fuit Christus iuxta morem Græcorum.Præterea Sacerdotes sanctificant illo die aquam, ex eaq; bibunt Laici, & vt fiant puri bibentes ex illa aqua benedicti ieiunant pridie, id est, quinto die Ianuarij.

CAP. 14

De *diebus in quibus non ieiunant.*

NOn obseruant autem ieiunium quandoq; 4. & 6. diebus Septimanæ. Edunt enim carnem diebus Mercurij, & Veneris,& omnia lacticinia quæ ex carne fiunt,qualia sunt oua, butyrum, lac, caseus, &c. A die Natiuitatis Christi vsq; ad quartum diem Ianuarij, id est viceſimo quinto die

Decembris vsq; ad eundem quartum diem Ianuarij non ieiunant. Sed quinto die Ianuarij ieiunant vt die sexto bibant aquam benedictam, de qua aqua superius dictum est. Si Natiuitas Christi fuerit die Mercurij, vel die Veneris, edunt carnem & omnia lacticinia laici. Monachi verò solùm lacticinia sine carne in honorem Natiuitatis Christi. Similiter & sexto die Ianuarij, quo baptizatus fuit Christus, Laici edunt carnem, & reliqua omnia lacticinia, sicut antea diximus: Monachi verò solùm lacticinia edunt.

CAP. 15.

De Archburch.

ADhuc in vndecima septimana ante Pascha edunt carnem diebus Mercurij, & Veneris Laici. Monachi verò solùm lacticinia, sicut ante dictum fuit. Ratio huius eorum facti hæc est. Olim fuerunt quidam hæretici, qui habuerunt canem optimum; & solebant ligare circa collum eius epistolas, & mittebant illum ad amicos suos distantes itinere duorum vel trium dierum, quas epistolas cum illi legissent, vicissim per eundem canem alias ad illos mittebant, & hoc sæpe factum fuit, tandem ille canis mortuus est, & non redijt; tunc illi hæretici præ dolore ieiunabant die Mercurij, & Veneris, vt deriderent Græcos Christianos, qui ieiunabant eisdem diebus in honorem Christi: Quod cum illi Christiani intellexissent, propter amorem Christi statuebant in illa septimana vndecima non omnino cum illis ieiunare, sed edere carnem die isto Mercurij, & Veneris. Vocant Græci Christiani hanc septimanam *Archburch.*

CAP. 16.

De diebus renouationis.

ADhuc totam septimanam Paschatis hoc est à die resurrectionis Christi vsq; ad sequentem diem Dominicum edunt carnem, & lacticinia, quia illam septimanam Patres voca-

vocabant ſeptimanam Renouationis. Eodemq; modo in die Pentecoſtes edunt carnem, & lætantur; ſed die Lunæ proximè ſequente idem feſtum, abſtinent à Carne & omnibus lacticinijs, quia ſacerdotes illo ipſo die poſt meridiem congregant populum in templum, & totus populus genuflectit in eodem loco, & ſacerdotes orant, vt veniat ſanctus ſpiritus ſuper populum, ſicut veniebat olim ſuper Apoſtolos in die Pentecoſtes. Et propter hoc ieiunant illius die Lunæ, hoc eſt in craſtino Die, Die vero Mercurij, & Veneris iſtius ſeptimanæ edunt carnem propter gaudium ſpiritus ſancti.

CAP. 17.

De conſecrationibus Sacerdotum.

MOs eſt apud Græcorum Epiſcopos, vt tribus ſtatis temporibus dent ſacerdotibus ſpiritulia dona ſicut Chriſtus tribus potiſſimùm temporibus dedit Apoſtolis ſuis dona, & cùm Apoſtoli ter gratiam accepiſſent, tum perfecti fuerunt: hoc eſt, Apoſtoli primum donum accipiebant, quando Chriſtus dixit illis, *profecti baptizate in nomine Patris, Filij, & Spiritus Sancti, &c.* Math. cap. 28. Secundum donum dedit illis in die reſurrectionis, Ioan. cap. 20. quando dixit illis, *Accipite ſpiritum ſanctum: Quorum peccata remiſeritis remittuntur ijs, &c.* Tertium donum dedit in feſto Pentecoſtes, quando miſit ſpiritum ſanctum ſuper illos; quibus peractis, perfecti fuerunt Apoſtoli. Eòdem modo & Epiſcopi Græci faciunt alios Epiſcopos. Primùm Epiſcopus facit hunc, vel illum ſacerdotem, & non confeſſorem facit, ſed ſolùm ſacra facere, & ſanctificare. Sed poſtquam Epiſcopus cognouerit illum ſacerdotem doctum, & eruditum eſſe, tunc craſtino die dat illi poteſtatem confeſſoris, & ſi ſit indoctus ſolùm ſacra facit. Et ſi poſtea dignus fuerit Epiſcopatu, tertio die duo vel tres Epiſcopi faciunt illum plenum Epiſcopum, & huius rei gratiâ omnis ſacerdos non habet poteſtatem confeſſionis, niſi ille, qui habet facultatem hanc ab Epiſcopo conceſſam.

CAP.

CAP. 18.

De confessione Populi peccatorum.

SAcerdotes plerunq; volunt vt populi confiteantur illis peccata sua in templo, aliquando verò & alibi, vel in domo priuata, vel in agris, nemine præter ipsos præsente, siue in Ecclesia sit, siue extra Ecclesiam.

CAP. 19

De Orationibus Græcorum.

ORant Græci in templo rectà stantes. Habent autem quędam alta sedilia in templo, sicut conspicimus fieri in nonnullis collegijs, & possunt aliquando in ijs sedere, aliquando stare. Quod si quando sermo fuerit, tum sedent super ijsdem sedilibus Laici, stant autem cum cantant. Cum autem veniunt in templum, vnusquisque capit suum proprium locum, ibiq; stans nudato capite, comprimit tres digitos priores dextræ manus; quo facto, innuit tres personas esse in vna deitate. Hosq; digitos ita compressos, primum ponit in sincipite; quo facto innuit Sanctam Trinitatem esse in cœlo. Deinde eos digitos mouet ad ventrem, significans filium dei secundam personam venisse è cœlo in terras, & crucifixum, & sepultum fuisse pro peccatis nostris. Tertiò, illos ponit in dextro humero, significans Christum surrexisse ab inferis, & iam sedere ad dextram Dei Patris, sicut *Dauid* dicit, Psal. 110. *Sede ad dextram meam*, &c. Quartò, illos ponit in humerum sinistrum, significans vt Christus ne ponat nos in sinistra manu in vltimo die, sed liberet nos ab illa, sicut Christus docuit nos, *Libera nos à malo:* & rursus quum dicit, *Tunc statuet oues in dextra manu, hados verò in sinistra:* & quisque inter singula hæc temporis spacia, hoc est à primo temporis puncto, in quo ponit in capite tres illos digitos, vsque ad positionem illorum in sinistro humero, dicit hæc verba: *Domine Iesu Christe, fili, & verbum Dei, miserere*

re

re mei peccatoris; & corpus eius flectit, & sic hæc figura significat crucem Christi, hoc est, ponendo digitos in capite primum, postea in ventrem, deinde in dextrum humerum, postremo ad sinistrum: hæ singulæ actiones coniunctim constituunt Crucem, & significant crucem in qua Christus crucifixus fuit pro peccatis nostris. Et sic quisq; templum intrans hanc figuram facit ter, quaterue, & tum quiescit in sede eius.

CAP. 20.

De modo confitendi peccata Sacerdoti.

IN more positum est apud Græcos vt ex illis generosiores semel, bis, ter, quaterue per annum accipiant sacramentum precioſi corporis, & sanguinis Christi, præmissâ tamen prius confessione peccatorum suorum spirituali alicui sacerdoti (spirituales sacerdotes dicuntur apud illos, qui huiusmodi potestate pollent ab Episcopo acceptâ.) Et quicunq; ille fuerit, qui vult confiteri huiusmodi sacerdoti, debet ad illum venire. Et sacerdos ille interrogat illum, quid velit? Respondebit ille dicens, cupio confiteri peccata mea. Tunc sacerdos vadit cum illo ad templum: Et ibi in aliquo loco priuato incipiet docere illum dicens. Vide, Angelus Dei coram te stat, (intelligens seipsum) ad accipiendam tuam confessionem. Caue ergo celes me quodcunq; peccatum, vel propter pudorem, vel propter quamcunq; aliam causam, quia & ipse peccator sum similis tui. Tunc Græcus ille incipiet cofiteri peccata sua sigillatim. Quo peracto. Rursus dicit Sacerdos, caue ne cuiusquam peccati te capiat obliuio. Tunc seriùs quàm priùs in se inspicit, & quæcunq; peccata potest meminisse ingenuè sacerdoti illi fatetur. Quod si nihil amplius recordari possit in quo offenderit, tum respondet sacerdoti se omnia quæ potest confessum esse peccata. Postea idem sacerdos imponit illi pœnas speciales specialibus peccatis debitas, scilicet vt ieiunet tot dies, tot sa-

ceret eleemosynas: quibus peractis, benedicit illi his verbis; Secundum potestatem quam Christus dedit suis Apostolis, dicens, nempe quodcunq; ligaueritis in terra, ligabitur in Cœlo; & quodcunq; solueritis in terra soluetur in Cœlo. Rursus secundum potestatem quam Apostoli dedêre Episcopis & Episcopus mihi dedit. Benedictus sis à patre, filio, & spiritu sancto, & sit tua portio cum iustis. Qua benedictione breui finita, longiorem adhuc orationem facit super capite eius confitente interim genua flectente. Et his omnibus peractis, surgit & relinquit in loco vbi sedebat quamcunq; velit pecuniam pro futura oratione pro illo à sacerdote postea præstanda. Et sic exit, facitq; quæcunq; sacerdos illi prius imposuerat. Et cum tempus venerit in quo acceperit dominicam cœnam; denuo confert se ad sacerdotem illum, vel alium quemcunq;, vt oret super capite eius, ipso interim genua flectente vt antea.

CAP. 21.

Quomodo populi accedunt ad participationem Cœnæ Domini.

VNumquodq; Templum Græcorum habet locum quendam admodum priuatum, distinctum à reliquo Templo, in quem Sacerdotes, Diaconi, & Subdiaconi solum intrant, & in quo sacra agunt: & cùm tempus aduenerit præbendi ta cra poculo; ipse Sacerdos venit ad ostium illius loci, & ibi stans porrigit cuiq; populo cœnam Domini, tamen veniunt hoc modo: Cum tempus appropinquat accipiendi cœnam, veniant coram ostio vbi sacra facit Sacerdos, & genua flectunt ad orientem vt Deum adorent. Postea conuertit se ad occidentem, & genua flectendo dicit reliquo populo; *Benedicitote nobis fratres, ore & opere peccauimus.* Populus autem respondet, dicens; *Deus tibi concedat veniam frater.* Deinde, conuertit se ad dextram partem templi, & eadem verba populo ibi sedenti loquitur, & illi similiter respondent. Vltimò, conuertit se ad sinistram eadem verba proferens: & reliquus

quus populus respondet, dicens, *Deus benedicat vobis.* Post hæc accedit quisque prope ostium dicti loci sacri, & sacerdos appropinquat illis ibi stantibus cum cœna in manibus suis vsque ad medium eiusdem ostij, & non vltra, & tunc præbet cuiq; ibi stanti corpus Christi, id est, panem & vinum simul commista, dicens, *Accepit seruus Dei N. N. in nomine Patris, Filij, & spiritus sancti Amen.* Et illo ipso temporis puncto, in quo accipiunt illi sacra Dei, vnusquisq; hæc verba humili voce apud se loquitur, *Domine non dabo tibi osculum sicut Iudas, sed sicut Latro ego confido te mei memorem fore in regno tuo:* & post hæc verba accipit sacra. Et post acceptionem sanctam illam, statim à Sacerdote eodem accipit aliam exiguam partem panis, qui vocatur *Donum diuinum*, de quo antea diximus, quando verba fecimus de orationibus Græcorum totius anni. Finis.

CAP. 22.

De Baptismate apud Græcos.

HAbent Græci quædam vasa oblonga, sita in inferiore parte templi, conflata vel à terra, vel à lapidibus, quæ vocant Baptisteria. In quibus baptizant infantes ad hunc modum: Cùm tempus aduenerit baptizandi infantem, consanguinei infantis priùs calefaciunt aquam domi additis ei quibusdam herbis beneolentibus. Et tunc ferunt infantem & aquam illam simul ad templum, & inijciunt eam in vas illud, addito ei postea à Sacerdote oleo Oliuarum, quod oleum significat misericordiam Dei infra infantem baptizandum. Tunc Sacerdos incipit precari, & precibus finitis accipit infantem nudum ambabus vlnis, & ponit infantem ter in aquam illam, dicens primo, *Baptizatur seruus Dei N. N. in nomine Patris*, tunc mergit infantem, & retrahit. Deinde, addit in nomine Filij, & demum mergit, & retrahit. Tertiò & vltimò addit, in nomine spiritus sancti, & eundem infantem denuo immergit, & retrahit; hoc est tribus vicibus immergendo infantem in aqua, & retrahendo ex aqua sicut

Christus dixit Apostolis, *Profecti baptizate in nomine Patris, Filij, & Spiritus sancti.* Quibus omnibus finitis, legit quasdam preces, sicut hic in Magna Britannia, & reddit infantem ijsdem consanguineis. Finis.

CAP. 23.

De Excommunicatione Græcorum.

COnsuetudo est apud Græcos, vt illos, qui admodùm mali sunt, excommunicent, (cò quòd dixerit *Paulus, Vobis conuenientibus vnà cum spiritu meo tradite istiusmodi hominẽ Satanæ:* & rursus, *redargue seuerè*) vt in exemplari rem proponamus verbi gratiâ. Prauus quidam falsum dixit testimoniũ, vel aliam iniuriam alicui intulit hominẽ, hinc falsum istum testẽ homo iniuriâ affectus in ius coram Sacerdote, vel Episcopo aliquo vocauit, atq; interrogat Episcopus falsum testem, vtrum verum sit eius testimonium, nec ne: Testis testimonium suum firmiter asseuerat; Tum Episcopus, vel Sacerdos induit sacerdotalia vestimenta (siue in Ecclesia fuerit, vel alibi) (quę vestimenta significant torquẽ, purpureamq; chlamyda Christi, & reliqua. Et est tum temporis Episcopus, vel Sacerdos ille, typus Christi, propter sancta illa vestimenta, & gratiam, quam accepit ab Episcopis.) Iubet deinde falsum testem stare coram illo, orditurq; Psalmum, quo dicitur, *Deus laudem meam ne taceas, quoniam os peccatoris, & dolosi contra me aperiebatur*, & quæ deinceps sequuntur in illo Psalmo: tum addit preces quasdam: postea dicit, *Ex authoritate quam dedit Apostolis Christus*, viz. *Quæcunq; solueritis in terrâ, erunt soluta etiam in cœlis: & quæcunq; ligaueritis in terrâ, erunt ligata etiam in cœlis: Et ex authoritate quam dederunt Apostoli Episcopis, Episcopiq; mihi dederunt, ex hac authoritate excummunico te; cum Christianis non versaberis, & separaberis à Patre, & Filio, & Spiritu sancto; & à trecentis & octodecim sanctis Patribus Deum ferentibus Nicæni Concilij, & ab omnibus Sanctis: & erit tibi portio cum Diabolo, & Iuda, & eris indissolubilis in æternum, vt saxa, & ferrum, in testimonium, nisi resipiscas.* His transactis,

istum

istum dimittit. Quòd si falsus testis posteà non resipiscat, sed in suâ opinione moriatur; post annum alterum (solent enim Græci effodere sepulchra eorum, qui mortui fuerunt superiore anno, & sic etiam sepulchrum illius falsi testis) inueniuntq; ipsum integrum, & toto corpore nigrum, etiam cum crinibus, vngues vero albos, & eijciunt ex sepulchro, & statuunt ipsum erectum ad murum, & stat ex seipso firmus, tanquam lignum solidum: quòd si quis percutiat ventrem illius, resonabit tanquam tympanum: huiusq; rei gratiâ vocatur tympaniæus, id est, tympani sonum referens. Sic enim Cassianus historicus in historijs suis vocat excommunicatũ Tympaniæum. Sic verò res se habet. Est hic Cassianus Græcus, historicus antiquus, & scribit in historijs suis, fuisse olim in loco quodam Synodum particularem centum Episcoporũ; & omnes verè loquuti sunt præter vnũ, qui cunctis aduersabatur. Tunc illi ipsum execrati sunt, & mortuus est excommunicatus, manstq; corpus eius per centum annos constrictum tanquam ferrum. Post centum verò annos rursus fuit ibidem loci synodus particularis centum Episcoporum. Tunc Episcopi illi dixerunt ad inuicem: Excommunicatus ille Episcopus peccauit in Ecclesiam, & excommunicauit illum Ecclesia. Quod reliquum est, nos etiam Ecclesia sumus, veniam illi indulgeamus, cùm humanum sit peccare, veniamq; illi indulserunt, & statim post preces peractas vertebatur in puluerem qui per centum annos insolutus permanserat. Seçundum eundem modum fit etiam hodie aliquando in Græciâ, quando contigerit inueniri inimicum excommunicati; qui velit ipsi condonare (cò quod mentio fiat de Iuda rege Hebræorum thura adolente pro mortuis, dicunt autem librum hunc non esse canonicum, esse tamen sanctum) vadit enim ad sacerdotem, propositumq; enarrat: tunc sacerdos induit vestimenta sacerdotalia, & legit preces quasdam, respondetq; inimicus excommunicati dicens: Det illi Deus veniam, & sic dissoluitur etiam nunc dictum excommunicatus. Vt verò non diffidatis, poteritis mercatoribus vestris dicere, vt inquirant in *Palæa-patra, in Thessalonica, in Alexandriâ, in Con-*

Stantinopoli vel alibi, poteritis etiam à Græcis, qui in Angliâ sunt sciscitari, qui veritatem vobis asseuerabunt.

CAP. 24.

Historia de monte translato in partibus Ægypti per precationem Patriarchæ Christianorum, & de veneno quod imbibit idem religionis causâ.

ABhinc annos sexaginta, aut eò amplius, Iudæi qui incolunt in partibus *Cairi*, & in ipso *Cairo*, magna inuidia moti aduersus Christianos quoniam videbant principem admodùm esse auarum, Consilium inierunt, duplum illi tributum dare pro Christianis, vt destruat illos quia falsò loquutus est Christus dicens; *qui habet fidem sicut granum sinapis dicet monti huic, transi hinc, aut illuc, & transibit*, Math. cap. 17. v. 20. *Et si mortiferum quid biberint, non ijs nocebit*, Mar. cap. 16. v. 19. Tunc rabiosus ille Princeps vocauit Patriarcham, & dixit, vestra religio est falsa, eò quòd dicit Christus, *qui credit in me etiamsi quid mortiferum biberit, non nocebit ei.* Et statim præcepit Patriarchæ vt bibat venenum nullum crucis signum faciens. Hoc dixit Princeps quia Iudæi dicebant ei, Christianos habere crucem Christi pro magiâ, & si faciat crucem in poculo, tum deleretur potestas veneni, ideoq; præcepit princeps Patriarchæ ne faceret signum Crucis cum venenum biberet. Tum Patriarcha conuocato Populo, tres dies cum illo ieiunus orabat, & tertio die cœnam domini sumebat cum toto populo, & ad principem profecti sunt omnes. Tum præsente Principe omnibusq; Iudæis, vnus Iudæorum poculum veneni fortissimi plenum attulit, & dedit Patriarchæ vt biberet, Tum Patriarchæ poculum in manu tenenti, dicit Princeps, Caue ne facias signum Crucis in poculo; tum Patriarcha benedicens poculo per se mysticè, interrogabat Principem dicens; vnde velis vt bibam, an ex hac parte, an ex hac, an ex hac, an ex hac; & hoc modo digitos suos posuit in quatuor partibus superficiei poculi, benedicens mysticè

poculo

poculo. Tunc rursus dicit Princeps Patriarchæ, bibe vbi vis, nesciens quòd Patriarcha in signo crucis benedixit poculo. Post hæc Patriarcha bibit totum poculum. Et postquam bibisset, præcepit Patriarcha vt ferant aquã & ferebant: deinde misit paululum aquæ in poculum & lauit poculum. Deinde dicit Principi: Ego bibi totum venenum, bibat Iudæus solam hanc in poculo aquam, vt videamus illius fidem: Tunc dedit Patriarcha poculum Iudæo priùs ferenti vt biberet de eo: Iudæus vero noluit bibere. Tunc Princeps interminatus est Iudæo, dicens, bibe vt videamus etiam tuam religionem. Atque ita Iudæus bibebat aquam in poculo, & statim disruptus fuit. Tum Iudæi dederunt grandes pecunias Principi, dicentes Patriarcham incantationẽ fecisse: sed dicit Christus, *Qui habet fidem sicut granum sinapis, dicet monti huic, transi hinc illuc, & transibit.* Iam vocet Patriarcha montem illum qui nobis oppositus est, & si ad nos venerit, tunc nos interficiant Christiani. Tunc rursus dixit Princeps Patriarchæ, vt vocaret ad se montem, aliàs mori oportêre Christianos. Tunc Patriarcha orabat Principem vt largiretur illi tres dies, vt & Græci vnà consilium caperent: Patriarcha verò cum populo orabat cum lachrymis nocte dieq;: tertio verò die secundùm consuetudinem sacrificauit, post sacrificium verò conuenerunt omnes, tum Græci, tum Turcæ, & Iudæj, veneruntq; ad locum constitutum, & tunc Patriarcha extensâ manu ad montem, dicit: *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti veni mons:* & statim discindebatur in partes, & veniebat ad eos. Omnes autem timuerunt ne quo modo eos obtegeret. Deinde dicebat Princeps Patriarchæ, dic vt constat mons, tunc rursus extendens manus, Patriarcha benedixit monti, dicens, Sta mons, & stabat ibi mons: & ex eo tempore vocatur nomen illius mons *Sta-mons*, vsq; ad hodiernum diem. Turcâ vero linguâ vocatur *Dourdag*, hoc est, *sta-mons*. Tunc Princeps dixit Patriarchæ vt Græci occidant Iudæos: Patriarcha verò dixit Principi, nos Christiani non solemus homines occidere; sed pro eorum pœnâ faciant vt aqua quæ fluit sub Cairo veniat intra Cairum, vt bibant

de

de eâ omnes homines ciuitatis Iudæorum ſumptu, & ita Princeps donauit vitam Iudæis, & vſq; ad hodiernum diem Iudæi ferunt aquam Nili fluminis intra Caïrum proprijs ſtipendijs vt bibat tota ciuitas, quoniam Cairus altior eſt flumine Nilo: & non exigui laboris eſt facere vt aqua aſcendat. Poteſt quiſq; huius rei veritatem certiùs diſcere ex peritis mercatoribus qui ad ea loca adeunt. Eodem modo poteſt aliquis huius rei veritatem cognoſcere ex Græcis illuc euntibus. Eodem verò modo & corpora excommunicatorum ſoluuntur miraculoſè, quemadmodum & Patriarcha venenum bibit, & montem vocauit, & venit miraculoſè, ſecundum verba Chriſti quę habentur, Mar. 16. 19. *credentes ſigna ſequuntur*, hoc eſt, credituros & iam credentes, hoc eſt, in futuro tempore; vt de *Dauide* dictum eſt, *foderunt manus meas, & pedes meos:* pro *fodient manus meas, & pedes meos.* Et rurſus Chriſtus dicit, *quicquid duo vel tres petierint in nomine meo, pater meus dabit eis:* ſicut & in Thabor monte, vbi transmutatus fuit Chriſtus, *Moſem* & *Eliam* referebat Chriſtus. Non dicunt Græci eſſe purgatorium, ſed ſicut prædiximus, miraculoſè fit aliquando, quando reperitur inimicus excommunicati, & vult miſereri illius excommnicati, qui iniuriã fecit illi bono Chriſtiano, vt ſoluatur corpus illius excommunicati, & vertatur in cineres.

CAP. 25.

De Monachis.

HAbent autem Græci etiam Monachos, eoſq; ſolùm ex ordine Baſilij Magni. Iſte autem ordo in tres diuiditur ordines: & primus quidem vocatur κοινοβιακὸς, ſeu communi loco viuens: ſecundus appellatur ἡγεμονικὸς, ſeu Præfectivus, vel vt ita dicas domus quatuor, aut quinque Monachorum continens, quia parua habent monaſteria, ſicut domicilia: tertius dicitur ἀσκητικὸς, ſeu ordo exercitatus.

CAP.

CAP. 26.

Interpretatio primi ordinis.

PRimus ordo, qui vocatur κοινοβιακὸς, huiuſmodi eſt: inueniuntur apud Græcos multa monaſteria, & parua, & maiuſcula; Et quædam habent quinquaginta monachos, quædam verò centum, quædam autem centum, & quinquaginta, alia verò ducentos, alia trecentos, alia quadringintos, & ſic deinde: Monachi autem huiuſce primi ordinis vitam communem degunt. Omnes enim ſimul vnà eademq; menſa ſimul cum Præfecto ſuo prandent, & cœnant. Et quidem neq; cibus, neq; potus præfecti differt à cæteris Monachis etiamſi vel illiterati fuerint, vel ſapientes. Quandocunq; igitur edit, vel bibit præfectus, omnes eundem panem, eundem potum, & eundem cibum comedunt, & bibunt. Veſtimentis ſolummodò parum differunt præfecti, & ſeniores, & ſacerdotes monaſterij formalitatis ergò. Iſti Monachi primi ordinis plurimi labore manuum victum quærunt. Sacerdotes tantùm, & Diaconi non laborant, ſed ſolũ rebus eccleſiaſticis vacant, & verſantur in lectione. Reliqui autem labore manuum viuunt, quidam enim conſuunt calceos monachorum quidam nent lanam ouinam, & hircorum villos: quidam autem ſunt ærarij, & ex ære ſecures faciunt: quidam ad greges ouium ſe conferunt, & conducunt paſtores mercenarios, qui eos ſeruent: & cum ijs verſantur per vnum annum, & cùm vnus annus præterierit, ad monaſteriũ eunt, & in eo manent: alij autẽ ad equos mittuntur, & illi eodem modo faciunt per annum vnum, & rurſus alij mittuntur à ſenioribus monaſterij (habent enim monaſteria non aliter quam collegia in Anglia ſeniores) & ſecundum prædictum modum ſeniores mittunt monachos ad equos, ad boues, ad apes, ad oues, & ad alia negotia quotannis, & tum poſt annum in monaſterium reuertuntur, & ſic viuunt monachi in monaſterijs: multi etiam ſacerdotes mittuntur à ſenioribus in *Balachiam*, in

Moſcouiam, & in *Hiberniam*, vt, quicquid Reges dant, ad monaſterium referant, & manent illi in monaſterio, & rurſus alij mittuntur. Et ſic viuunt monachi primi ordinis in monaſterijs.

CAP. 27.

De Habitu Monachorum.

GEſtant autem pileum in capite, qui aures ipſorum abſcondit ſignificans eos nihil audire, neq; vitia hominum addiſcere, ſed tanquam ſurdos reputari: Sicut inquit *Paulus*. Eſtote infantes in malitia. Geſtant autem & alium pileum præter prædictum, qui ſepulchri figuram repreſentat, & abſcondit caput, propenditq; ad zonam circiter; deſignans eum, qui hanc figuram geſtat mortuum eſſe à mundanis rebus, nec oportere eum, qui hoc habitu indutus eſt, ſollicitum eſſe circa res mundanas, hoc eſt, circa honores hominum, circa diuitias, circa cognatos, circa amicos, circa fauorem hominum, nec circa fomentum corporis, ſed ſemetipſum habere pro mortuo, non tanquam realiter defunctus fuerit, ſed præoccupatâ quadam mortis opinione, vt inquit Dominus. Quicunq; vult poſt me venire abneget ſeipſum, tollat crucem ſuam, & me ſequatur. Et *Dauid*. Toto die propter te morimur.

CAP. 28.

Interpretatio voluntariæ mortis.

MOri, & crucem tollere ſignificat hominem voluntariâ morte occumbere. Voluntaria verò mors ſic redditur: Quemadmodum duplex eſt homo, ſecundum animam, & ſecundum corpus; ita & mors etiam duplex eſt, naturalis, & voluntaria. Naturalis eſt, quando anima ſeparatur à corpore: Voluntaria autem cùm quis ieiunijs, vigilijs, & patientiâ deprimit voluntatem corporis. Et ſicut homo duplex eſt, ita duæ ſunt in vnoquoque homine voluntates; voluntas animæ,

mæ, & voluntas corporis: & ſicut anima hominis eſt donum, & inſpiratio Dei, ſic ea, quæ ſupra ſunt, quærit: & ſicut Deus purus eſt, ſic anima ad purè viuendum naturali fertur appetitu, hoc eſt, vt immunis ſit à peccato. Et ſicut Deus iuſtus eſt, haud ſecùs anima iuſtè agendo oblectatur: ſicut Deus eſt miſericors, eodem modo & anima ſe miſericordem prębere conatur. In Deo nihil eſt terreſtre, ſic & anima concupiſcit cœleſtia, & diuina meditatur, & ſic deinceps. Corporis autem voluntas hæc eſt, edere, inebriari, iniuriam facere, ſuperbire, diuitias concupiſcere, iniuſtè agere, & ſupra omnes alios efferri, rapere, & ſi quid contra animam facit, ad hoc confugit, ſicut inquit *Paulus* ad *Timotheum*, cap. 3. 5. de hominibus, qui carnis paſſionibus ſuccumbunt: *Amatores ſuimus nummi, iactatores, ſuperbi, blaſphemi, parentibus inobedientes, ingrati, impij, immites, perfidi, accuſatores, intemperantes, oſores bonorum, proditores, temerarij, inflati, amatores voluptatum potiùs quàm amatores Dei, habentes ſpeciem pietatis, potentiam verò ipſius pernegantes.* Carnis enim cupiditates animæ ſunt inimiciſſimæ, vt rurſus inquit idem, *Video aliam legem regnantem in carne meâ:* & rurſus, concupiſcentia enim carnis eſt inimica Deo, & ſiquidem inimica Deo ſit carnis concupiſcentia, animæ certè noſtræ erit inimiciſſima. Quocirca oportet homines, qui ratione præditi ſunt prudentes eſſe, vt poſſint carnis concupiſcentias refrenare, ſicut equites equos, & Reginæ ancillas ſuas, non vt corpore moriantur, ſed vt anima ſuper corpus imperium exerceat: ſicut dicit Paulus, *Bonos mores corrumpunt colloquia praua:* & Deus dicit Moſi de quibuſdam Hebræis, *Ipſorum animæ non ſunt bonæ.* Non quòd Deus animas malas creauerit, ſed quòd animæ eorum deſiderijs carnis morem geſſerint, adeoq; in feritatem brutorm degenerauerint, ideo dicit Deus quod eorum animæ non ſunt bonæ: vt apparet ex ijs operibus; ſedit populus, & fleuit, & venerunt Coturnices: & populus edit, & ſatiatus eſt: & poſtridie quatuordecim millia moriebantur in vno die. Ita videre licet, quomodo (propterea quòd animæ eorũ deſiderijs carnis obtemperauerint) & corporeâ & ſpi-

rituali etiam morte perierunt. Rursus *Adamus* propter ingluuiem eiectus est è Paradiso. Rursus *Esau* exigui opsonij gratiâ primogenituram amisit. Et dives ille damnatus est, audiens illud durum, *Vir recepisti bona tua in vita tua.* Pretereà Christus dicit, tale dæmonium non eijcitur nisi per orationem, & ieiunium. Et rursus dicit Dominus, *Diabolus hominem tentat, huc & illuc vadit, & posteà cogitat, & veniens intuetur eum, & inueniens eum impœnitentem, & vas sibi idoneum, vadit, & assumit septem alios spiritus peiores se, & introiens, habitat in illo homine, & sic illius hominis nouissima principijs peiora euadunt.* Quænam sunt autem illa dæmonia? certè dæmonium est arrogantiæ, dæmonium fornicationis, dæmonium inuidiæ, dæmonium gulæ, dæmonium auaritiæ, dæmonium iniustitiæ, dæmonium mendacij, cum multis alijs. Monachi igitur prædictorum non immemores, neque Domini dicentis oportere eos, qui discipuli ipsius futuri sunt, crucem suam tollere; illos cucullos, de quibus dictum est, ferunt, vt semper ob oculos ponant sua nouissima, & videntes ad illa totis viribus contendunt (sicut & *Dauid* afferit, semper in conspectu meo Dominum posui, quoniam à dextris est vt non mouear) & voluntariâ morte moriuntur. Similiter & pallijs induti sunt, quæ habent etiam Laici in Ecclesiâ, eò quòd non habent brachia alia; quod significat quòd non oportet monachos ad aliquod malum opus manus extendere, aut iniurijs aliquem afficere, ideoq; cum pallijs sepeliunt, significantes quòd ita vitam transegerint, quasi ad maleficia manus non haberent, sed etiam viuentes morte voluntariâ quasi è viuis excederent.

CAP. 29.

De secundo ordine Monachorum.

SEcundus ordo Monachorum vocatur ἡγεμόνιον, id est, qui paruam quandam Monachorum præfecturam habet, *viz.* est aliquis dives, qui in Cœnobio non potest viuere, ideoq; dat monasterio pecuniæ quantum sufficiat ad emendam do-

mum,

mum, & monachi habitantes in monasterio dant illi magnum ædificium, quod semel, bis, vel ter mille passibus distat à monasterio, in quo ille cum duobus, vel tribus rei tenuioris monachis habitat, & cum ijs viuit, sicut cœnobitę viuunt in monasterijs: illud autem ædificium ecclesiâ, vineâ, oliueto, nucibus, cerasis, amygdalis, & alijs ad viuendum necessarijs abundè locupletatur: & hic est secundus ordo Monachorum Magni Basilij.

CAP. 30.

TErtius ordo Monachorum sequitur, qui vocatur Τάξις ἀσκητικὴ, id est, ordo exercitationi vacans: nam isti virtutibus valdè exercentur: hi autem duram, ac molestam vitam agunt, contenti solum paruis domicilijs, vel speluncis, & neque vineas habent, nec agros. Quandoq; tamen quidam eorum possunt habere vites satis magnas, è quibus autem non conficiunt vinum, sed illas colunt, vt vuas comedant; habent etiam ficus, & similia, quibus viuunt, nimirum fabas, cerasa, poma, castaneas in foco cum aqua coctas. Colligunt etiam verno tempore mala, apium, ficus, cerasa, & in partes diuidunt, & in sole exiccant; hæc ita parata comedunt cum pane reliquâ anni parte, semel in vno die, bis autem diebus festis; quidam autem & in festis semel tantùm: suo itaque sudore & labore isti victum quęritant. Græcorum etenim ecclesia non patitur monachos, aut eremitas stipem emendicare; eò quòd meminerint *Paulum* dicentem, *Qui non operatur, non comedat.* Quandoq; verò nonnulli diuites Gręci mittunt eleemosynas in monasteria ad Eremitas, & exercitati dicti accipiunt: eorum autem vitæ ratio talis est, quidam faciunt plicamenta ex villis & lanâ ouium, quæ gerunt Monachi in extremis vestimentis: quidam conficiunt pileos ex stramine, quidam lignea cochlearia, pauci libros exscribunt, & hæc omnia manu facta dant monachis habitantibus in monasterijs, & illi dant omnia necessaria Eremitis: & hic est tertius ordo Eremitarum Monachorum. Hæc autem ego

ſcribo; quia, cùm ſim teſtis oculatus, pro certo, & comperto habeo, & audacter dico. Hic autem eſt tertius ordo Monachorum magni Baſilij.

CAP. 31.

De virtutibus exercitatorum.

HI exercitatores Monachi quaſdam traditiones ab Hemitis antiquis acceptas retinent, hoc eſt, libros quoſdam, qui eos, quomodo malorum iniurias patienter ſuſtinere debeant, addocent hoc modo dicentes: Si ad menſurã *Moſis*, & *Dauid* non peruenerimus, ſalutem nullo modo adipiſci poſſumus: ideſt, Quemadmodum *Moſes* à *Dathan*, & *Abiram* conuitijs laceſſitus, à quibus hoc audiuit; Vſquequò tu ſolus dominaris? Nos etiam ſumus filij *Iacob*: noluit quidem contradicere, vel iraſci illis, ſed reſpondit, dicens: Deum precabor, vt faciat quid ipſe velit. Et *Dauid* cum Rex eſſet, & propheta magnus, cùm à ſceleratiſſimo *Simei* iniuriâ affectus eſſet: poſtquam in regnum ſuum redijſſet, ſceleratiſſimum iſtum conuitiatorem interficere noluit: eodem modo vivunt & hi monachi propterea quòd prędicta hæc exempla in memoria habeant; cùm autem iniuſtus quiſpiam eos iniuriâ afficit, illi ſtatim recordantur *Moſis*, & *Dauid*, & Ioannis qui teſtatur, Apoc. 16. *Et vidi tres ſpiritus immundos procedentes ex ore Draconis, & ex ore Bellua, & ex ore pſeudoprophetæ: & exeunt ad reges terræ, vt eos ad bellum, & pugnas incitent: qui quidem ſunt dæmones perturbationis*: Sic etiam ij, qui iniuriam faciunt, habent dæmones iniuriæ in ſe (vt inquit Dominus: ex ore impurorum procedunt mala) & idcirco hominibus iniurias inferre conantur: ſecundum quod dicit *Paulus*. Neq; fur, neq; conuitiator, hoc eſt, qui iniuriam infert, & percuſſor regnum Dei poſſidebunt; niſi cum fiat toleratio ab aliquâ magnâ ſynodo, quemadmodum de Chamo, qui patrem ſuum deriſit, & illuſit, & ſic patris ſui execrationem accepit: & hoc modo prauos homines accuſant aliquando.

CAP.

CAP. 32.

De vi tute electorum Monachorum

de quibus ego loquutus sum.

POssunt etiam aliquando pravi homines inter illos esse, sed de plerisq; non de particularibus hæc nostra habetur oratio: similiter etiam ex prædictis viris bonis potest aliquis aliquando esse, qui iræ habenas laxat propter multitudinem & frequentiam iniuriarum: sicut inquit Salomon in Prouerbijs, *Multum tribulationis gignit insaniam, quia natura non potest dura perpeti.*

CAP. 33.

De ieiunio primi ordinis, & secundi Monachorum.

IEiunium primi, & secundi ordinis, id est Monasteriorum, & eorum, qui sunt præfecti trium, vel quatuor Monachorum, tale est. Ieiunant per totum annum, vnaquaq; septimanâ ter, veluti die Lunæ, die Mercurij, & die Veneris: die Lunæ ieiunant quoniam die Sabbati, & die Dominico bis comedunt in die, & comedunt pisces, & butyrum, & oua, & lac, & caseum, & oleum, & vinum: vt verò concupiscentia non augeatur ieiunant die Lunæ; diebus autem Martis, Iouis, sabbati, Solis, bis comedunt illa, de quibus diximus. Trium dierum ieiunium ita se habet: Secundâ horâ post meridiem in templo eorum precantur, & exeuntes se conferunt ad mensam, & comeduut fabas cum iusculo, sine oleo, & butyro, & quasdam herbas cum aceto, vel ciceres, & alia legumina cocta sine oleo, & butyro, &c. ad vesperum verò introeunt in templum, & post preces exeuntes, sedent circa templum, & promus aliquis circumire solet gestans calathum fragmentis panis plenum, & dat vnicuiq; monacho vnum panis frustum, & aquæ pariter poculum vnum; & iuniores quidem hæc sumunt; seniores autem nihil accipiunt, sed postquam parum sederunt, rursus introeunt in templum,

& o-

& orant, quandoq; per vnam horam integram, quandoq; per dimidiam horam; & quando exituri sunt, stat præfectus in porta ecclesiæ, & vnusquisq; monachus cùm vult exire è porta prosternit se coram præfecto dicens, benedic domine: præfectus autem respondet dicens, Deus hoc tibi concedat fili mi, & sic statim redeũt ad sua Domicilia, & nõ licet alicui amplius cum alio colloqui, & sic in domibus suis incipiunt orare, & preces priuatas fundere, & adorare Deum, & veniam à Deo petere pro se quisq;, & pro alijs per integram horam, & deinde tectum petunt donec semel medium noctis horologium sonuerit, & tum rursus surgunt, & omnes simul ad preces accedunt, vsq; ad auroram, & tum exeuntes è templo ad suas priuatas artes se recipiunt, & operantur pene vsq; ad prandium, vt etiam heri: & quando exituri sunt stat præfectus ad portam aulæ. Et vnusquisq; vt egreditur monachus prosternens se coram præfecto dicit quæ prius, &c. tempore autem magnæ quadragesimæ genua flectunt coram præfecto, tum inter prandendum, & post cœnam in templo eodem modo respondentes: & hoc modo faciunt per totum annum. Prætereà etiam, si contigerit alicui monachorum dormire, & non surgere in initio quando incipiunt precari, sed hora primæ precationis, quæ vocatur medium noctis præterijt, & surrexit post mediam noctem: ille in illo die non prandet cum reliquis Monachis, sed reliquis Monachis comedentibus, ipse stat in vestibulo mensæ coram reliquis comedentibus; & orat coram reliquis dicens; *Miserere mei Deus secundum magnã misericordiam tuam, &c.* donec omnes cõsurgant à prandio; & cùm consurgunt, omnes volunt exire simul, ipse verò in terram procidit, & dicit; *Benedicite Patres sancti homini ignauo, quoniam peccaui*; & sic vnusquisque fratrum dicit, *Deus tibi ignoscat frater*: & cum omnes abeunt, tunc ille comedit: & eodem modo faciunt, & primi, & minores Monachi: hoc autem faciunt omnes animo lubenti, vt omnes habeant bonum exemplum ad surgendum semper tempore primæ precationis.

CAP.

CAP. 34.

De tertio ieiunio tertii ordinis Monachorum, qui vocatur ordo exercitatus, id est, ordo perfectiorum Monachorum.

TErtius ordo Monachorum vocatur ordo exercitatus; isti exercitati comedunt per totum annum semel in vno die, præterquam solennibus diebus festis; sæpe etiam & tum quidem semel; si pransi fuerint, nolunt cœnare; sicut priùs explicauimus de ieiunio primi, & secundi ordinis Monachorum.

CAP. 35.

De Quadragesimis Monachorum.

HAbent etiam Monachi quadragesimas, sicut & Laici, in toto anno quatuor. Prima quadragesima vocatur Magna, & Sacra quadragesima, vt dictum est, quoniam animæ est decimatio per annum, vt diximus, quoniam in octauâ septimanâ Laici condonant peccata inimicis suis, & confitentur, & parantur, vt, cum sacra Quadragesima aduenerit, sint mundi corde, & supplicent Deo de peccatis suis. Eodem etiam modo & Monachi vsq; ad septimam septimanam ante Pascha condonant sibi inuicem de iniurijs illatis, & parantur etiam ipsi vt sint animâ puri: incipiunt ieiunare à die Lunæ, id est, septimâ septimanâ ante Pascha: ieiunant diebus Lunæ, & Martis: die autem Mercurij comedunt: duobus autẽ diebus præteritis nihil omnino comedũt. Quidam autem die Martis circà vesperum comedunt vnum frustum panis cum aqua; & post diem Mercurij incipiunt quotidie semel comedere vsq; ad diem Saturni. Die autem Saturni, & die Dominico, hisce duobus diebus vsq; ad Pascha comedunt oleum, & bibunt vinum. Quinque autem reliquis septimanæ diebus semel edunt, & edunt mala arefacta, & alia nonnulla (de quibus diximus, quòd exercitati

comedunt) illi comedunt, & Monachi in Magna Quadrageſima: quidam autem ex Monachis duorum ordinum, & ab exercitatoribus, & ab Eremitis in Magna Quadrageſima ſæpe in tribus diebus comedunt ſemel. Magna autē Paraſceue, in quâ Chriſtus crucifixus eſt, omnes Monachi per totum diem ieiunant, & neq; prandent, neq; cœnant, ſed aliquid panis edunt ſolùm die Sabbati, & bibunt vinum mediocriter, vt poſſint ſtare in Eccleſia, cùm vigilent totâ nocte canentes ob gaudium reſurrectionis Chriſti.

CAP. 36.

De vigilijs feſtorum per totum anum.

REgula eſt apud Monachos Græcorum ſingulis noctibus ſurgere ad precandum, tum cùm hora, & dimidium horæ poſt mediam noctem præterierit: diebus autem Dominicis ſurgunt, cùm vnica tantùm hora præterierit, per totum annum. Vigilant etiam à veſpere vſq; ad auroram feſtis dominicalibus, & in feſtis Magnorum Sanctorum, id eſt, in nocte reſurrectionis Chriſti, & aſcenſionis: Pentecoſtes: & *Ioannis Baptiſtæ*: & viceſimo quarto die Iunij menſis: in feſto *Petri*, & *Pauli*: die ſexto Auguſti: quoniam illo die magnum feſtum celebrant ob transfigurationē Chriſti in monte Thabor: vocatur autem ad hunc vſq; diem dies transfigurationis Chriſti. Prætereà diuites, & pauperes celebrant magnum feſtum, vigilias etiam totâ nocte decimo quinto die Auguſti; propterea quòd eodem die *Maria*, mater, & Virgo tranſlata eſt à terris ad Cœlos: & ſic in alijs diebus feſtis ſicut in Chriſti natiuitate: & hæc de vita Græcorum, & Monachorum apud Græcos dicta ſufficiant.

CAP. 37.

Quibus ritibus conſecrantur Monachi.

MOs eſt Monachorum apud Græcos, vt, quoties aliquis Laicus vult Monachus fieri, primùm accedat ad Mo-

nasterium: Ibi Præses interrogat quid velit: cui respondet velle se Monachũ fieri. Infit deinceps Præses: Opus est vt per triennium maneas in Monasterio, quò probes, & explores te ipsum. Post confectum igitur triennium, si non placuerit illi vt fiat Monachus, licet abire, & vxorem ducere: sin placuerit, tùm ducit illum Præses, & templum petens sic alloquitur: Ecce Angelus Domini expectat vt accipiat confessionem tuam: caue igitur ne afflictionis alicuius gratiâ cupias Monachus fieri (hoc est ne occideris aliquem, & ideo præ metu mortis huc venias, vel ne malè habitus à parentibus, aut frustratus illis, quæ per carnalem appetitum desideraueris, leuandi doloris gratiâ, non ob amorem Dei huc te recipias, &c.) Tum qui futurus est Monachus respondet: Nequaquam honorande Pater: quin cupio vitam agere tranquillam, & pacificam, & abstinere à mundanis turbis, & tumultibus, ieiunare, vigilare, & in Pace Deo supplicare. Rursus infit Præses: Ergo cupis renunciare Mundo, & mundanis propter amorem Dei? Respondet futurus Monachus: certè, honorande Pater, Deo adiuuante. Vin' abnegare Patrem, & Matrem, Fratres, nuptias, gaudia, & voluptates huius Mundi? (vt loquitur Christus: Quicunq; reliquerit Patrem, & Matrem, &c. propter amorem Christi) Respondet: certè, honorande Pater, Deo adiuuante: Eodem modo respondet omni interrogationi. Posteà Præses peractis precibus induit illum habitu Monachorum; Tum ab eius capite capillos paucos forficulâ abscindit, & apum cerâ immistos affigit in angulo quodam prope sacrũ gradum (id est, prope locum in quo Sacerdos sacrificat) significans consecratũ esse Deo, neq; debinc potestatem habere sui corporis, vt vxorem ducat; propterea quòd Christus dicat, *Nemo inijciens manum suam aratro, & retrospiciens idoneus est ad regnum Dei.* Neq; enim potest hic Monachus abnegare, quam promisit Deo, virginitatem, & simul vxorem ducens placere Deo; quemadmodum nec agricola retrospiciens in sulco aratrum dirigere potest. Hac de causâ *Paulus* dicit, 5. cap. ad Tim. *Quando lasciuire incipient erga Christum, volunt vxores*

ducere, (hoc est) quando nolunt ieiunare, vigilare, orare, existimare seipsos mortuos à gloriâ huius mundi, sicut promiserunt se facturos propter amorem Christi, contemnunt Christum. Tum Christus conspuit item illos & ex ore, & à gratiâ suâ, (sicut Christus apud Ioan. in Apoc. de ecclesia Laodic. *Neq; calida, neq; frigida es:*) & illi demum incipiunt dicere se ferre non posse virginitatem, & volunt vxores ducere propterea quòd fugiant à gratiâ Dei.

CAP. 38.

Erotesis.

Vtrum liceat seipsum consecrare Deo.

Apocrisis.

LIcet illis, qui volunt, consecrare se Deo; secundum Ioan. in Apoc. 14. *Et vocem audini citharistarum, & citharizantium in citharis suis, & canunt quasi cantionem nouam coram throno, & coram quatuor animalibus, & senioribus: Et nemo potuit edisceere cantionem* (hoc est, vigiliam, continuatam orationem, ieiunium, simplicitatem illarum centum quadraginta quatuor chiliadum redemptorum à terrâ, hoc est, Deo consecratorum à parentibus, & affinibus: terra enim includit res terrenas, id est, à rebus terrenis consecrati sunt Deo.) Ipsi sunt, qui non inquinati sunt à mulieribus, virgines enim sunt hi, &c. sicut *Paulus*: Concupiscite meliora dona: Virginitatem colere est melius donum; sicut rursus dicit *Paulus*, *Qui enim vxorem ducit bene facit: qui autem non ducit melius facit*. Ergò licet homini consecrare se Deo sine iureiurando, (quoniam Dominus dicit, *Ne iurate per cœlum, neq; per terram*) tamen cum oratione in initiandis Monachis, vt narrauimus superius.

CAP. 39.

Erotesis.

Si contigerit Monacho peccare, quisnam erit finis?

Apocrisis.

Apocrisis.

SI contigerit Monacho peccare, resipiscat, & plùs se dedat ieiunijs, vigilijs, & lachrymis secundùm Prophetam Ioel. 2. 12. Et maneat in suo ordine Monachali; propterea quòd dicat *Paulus, Expergiscere qui dormis, & surge à mortuis, & illuminabit te Christus*, Eph. 5. 14. Et rursus eò quòd dicat Christus, *Qui venit ad me, eum non ejciam foras.* Et, *Si peccauerit frater meus vsq; septies, &c.* Et *Paulus*, Gal. 6. 1. *Fratres etiamsi praeoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos spirituales instaurate huiusmodi in spiritu lenitatis, considerans temetipsum ne & tu tenteris.* Haec dicit sanctum, & primum generale Concilium Constantinopolitanum, quod congregatum fuit contra Pneumatomachos.

CAP. 40.

De inuentione Monachorum, hoc est, quando incepit monastica institutio.

ANno circiter ducentesimo quinquagesimo à resurrectione Christi fuit vir quidam sanctissimus Christianus nomine *Paulus*, qui propter persecutionem Christianæ fidei à tyrannis illius temporis fugiebat in desertum, vixitq; aduſq; Constantini Magni tempora, & fuit in prima synodo Nicenâ generali, vt reperitur in historijs *Eusebij Pamphili*, & in *lib. De vita Pauli.* Vixit autem hic Sanctus *Paulus* multos annos in deserto, & sæpissime vidit Angelum Dei, & interrogauit de multis: Sic Scriptum inuenitur in ejus vitâ. Quoniam non habebat in deserto frumenta necessaria, & panem, degens in Eremo herbas comedebat præcipuas, vt ouis, nullas obseruans horas, cùm vel oportuit edere, vel non. Quodam verò die apparuit Angelus Dei iubens colligere optimas herbas in vnum locum, & tertiâ horâ post meridiem primùm Deo gratias agere, deinde herbis benedicere, & sic comedere: gratias etiam Deo agere postquam ederit, quoniam & Angeli in Cœlo institutas habent ad canendum horas, secundùm diuersitatem cantuum. Similiter alio tempo-

te angelus ei apparruit, ferens quoddam signum, quod vocatur cucullus, qui caput tegebat hominis, & pendedat a fronte, & à tergo advsq; zonam, plenus crucibus tanquam acu pictis, & inter singulos cruces hæ literæ fixæ erant; *Qui est, Iesus Christus vincit.* Et dixit angelus sancto homini, hoc accipe signum: nam in hac figurâ salua erit omnis caro. Est enim verè Christiani armatura inexpugnabilis, & sic accipiens signum, secum semper tulit, & alijs indicauit Eremitis, & ad hunc vsque diem hoc ferunt Eremitæ, quando vel precantur, vel operantur, in memoriam Christi crucifixi; vt cùm viderint cruces, existiment se mortuos esse à mundanis curis, & passionibus, sicut mortuus est Christus in cruce, & sicut dixit *Dauid, Semper ante oculos prospexi Dominum, quoniam ad meam dexteram est vt non mouear.* Ex illo tempore, id est, Pauli, originem duxerunt Eremitæ: quorum ex numero fuit *Magnus Onuphrius, & Antonius Magnus*: quorum Eremitarum multi fuerunt in prima Synodo Nicena: Consulas velim Nicenam Synodum primam, vbi videre est omnem veritatem de his Eremitis. Post autem primum Concilium Nicenum fuit quidam vir sanctus, Eremita, nomine *Sabbas*, primus fundator Cœnobij: habuit autem multos discipulos in deserto: Quodam verò die consuluit discipulis, vt coquos eligerent, ne turbarentur vniuersi in comparandis cibis: & omnibus sermo placuit: & fecerunt sicut præcepit. Vnusquisque proprium attulit alimentum: hic legumina, fabas ille, vnus radices, alter siccata cerasa, quidam ficus, alius panem, alius siccas vuas, & reliqua, quæ comedere solebant Eremitæ, & sic pacificè viuebant. Post hæc dixit illis: Faciamus casulas vicinas, vt in oppidis fieri solet, & omnibus placuit sermo, & sic fecerunt. Deinde dixit illis, Faciamus murum ex lateribus, & fecerunt; & domum illam caulam nominarunt, & omnes intra sunt clausi. Videntes verò diuites, & reges quàm bene viuebant, muris, & turribus firmissimis caulam cinxerunt; incolisq; agros, vineas, aliaq; ad victum necessaria largiti sunt; vocarunt autem caulam illam Monasterium. Posteà particulares Synodi Monachorum instituebant

bant ordinem, hoc est, vt, qui fieri velit Monachus, tres experiatur annos, antequam approbetur, & postea fiat Monachus si velit; sin minùs, huic abeundi data est potestas. Postea generales Synodi leges, & canones tulerunt, & confirmarunt quicquid particularia Concilia decreuerant de Monachorũ ratione vitæ; Et sic ad hunc vsq; diem respub. Monastica conseruatur. Et hoc modo, vt dictum est, inuenta est Respublica monastica. Ob hanc causam & generalis Synodus Chalcidonensis 4. Canon. 5.7. loquitur de Monachis. *Si qui semel electi fuerint ad clerum, hoc est, vel ad Sacerdotium, vel ad Monachatum: decernimus vt ij neq; ad militiam, neq; ad mundanas dignitates accedant. Quod si qui hoc facere ausi fuerint, & non resipuerint, ita vt redeant ad illum gradum, quem propter amorem dei susceperunt, Anathemata sint.* Synodus sexta generalis, Canon. 40. *Quoniam per separationem à tumultu huius vitæ coniungi Deo valde est salutare, non oportet iuvenes sine ordine pro libitu sine magnâ probatione ad Monachatum cum magno desiderio venire: sed datas regulas à patribus seruare: & si quis monastichũ iugum subire cupit, statuimus vt sit ad minimum decem natus annos, &c.* Magnus autem *Basilius* (qui sapientissimus, & in Astronomia peritissimus fuit) in Canonibus Exercitatorũ dicit oportere eum, qui in hunc monastichum ordinem admittitur, septemdecim esse annorum. Matth. 18. 19. *Et sunt Eunuchi qui fecerunt se Eunuchos propter regnum cœlorum:* Apoc. 14. *Et nemo potuit Cantilenam discere prater centum quadraginta quatuor millia eorum qui à terra empti sunt: hi sunt illi, qui cum fœminis non sunt inquinati: sunt enim virgines: hi sunt illi, qui agnum sequuntur quocunq; profectus fuerit: hi empti sunt ab hominibus, quasi primitia Deo, & agno, & in ore eorum dolus non est inuentus, sunt enim immaculati coram throno Dei.*

Interpretatio.

Empti sunt ab hominibus,] id est, Deo dicati fuerunt à parentibus, & consanguineis suis, dum in terrâ viuerent: Sicut etiam olim Nazareni Deo à parentibus suis fuerunt consecrati: cùm autem dicat *Ioan. in Apocal.* [*qui cum fœminis non*

sunt

sunt inquinati, hoc significat eos cum fœminis nunquã coijsse. *Sunt enim immaculati,* id est fœminam nunquam concupiuerunt. Et rursus dicit Dominus: *qui deserit patrem, vel matrẽ, vel fratres,* & quæ sequuntur, *propter me; centuplicem mercedem in præsenti seculo accipiet, & in futuro vitam æternam:* Et rursus: *Si quis voluerit post me venire, aut me sequi, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & posteà me sequatur,* id est, *carnalem concupiscentiam mortificet:* sicut & dicit *Paulus, Nolite de carne vestrâ esse solliciti.* Et rursus, *Qui ducit vxorem bene facit; sed qui non ducit melius facit.* Canon 50. Apostolorum huiusmodi habet verba: *Si quis abstinuerit à coniugio, à carne, aut à vino, non propter exercitationem sed propter impuritatẽ, Anathema esto.* Quod autem dicitur *De abstinentiâ à coniugio, carne, & vino,* significat in temporibus Apostolorum quosdam à coniugio, carnibus, & vino abstinuisse, secundùm illud Pauli in Epist. ad Tim. *Vtere vino modicè propter crebras tuas infirmitates:* si autem Timotheus à vino non abstinuisset, Paulus nunquam monuisset vt sanitatis causâ vinum biberet. Videmus etiam Ioannem Baptistam à coniugio, & carnibus exercitationis gratiâ abstinuisse: vide autem quomodo Dominus ipsum beatum prædicet, dicens: *Ex ijs qui nati sunt à mulieribus nullus maior est Ioan. Baptistâ.* Est enim Ioannes sub Christo summus dux exercitûs, iuxta illud Domini apud Esaiam, *Ecce mitto angelum meum ante faciem tuam, qui præparet viam tuam coram te:* sicut summus dux instruit milites suos quemadmodum se in bello gerere debeant: sic etiam Ioannes docuit milites Christi meliorem virtutem, ieiunans, & docens vnà cum exemplo ieiunij, & virginitatis: sicut ipse etiam dicit; *Ego sum vox clamantis in deserto; Parate viam Domini, rectas facite semitas ipsius.* Vox quidem clamans in deserto Ioannes est, sed clamantis Christi. Quando autem clamauit Christus? quando dixit, *Sitiens omnis ad me veniat, & bibat, &c.* Quapropter videtur olim exercitationis gratiâ abstinentia à Coniugio, carnibus, & vino tradita fuisse Ecclesiæ.

CAP.

CAP. 41.

De abstinentia a Carne.

PAulus ad Cor. 1. cap. 8. *Cibus non commendat nos Deo, neq; enim si comedamus abundamus, neq; si non comedamus deficimus.* ad Cor. 1. cap. 10. *Omnia mihi licita sunt, sed non omnia conducunt: omnia mihi licita sunt, sed non omnia ædificant:* & alibi, *Omnia mihi licita sunt, sed non omnia conducunt: omnia mihi licita sunt, sed à nullo in potestatem redigar. Cibus ventriculo, & ventriculus cibis, Deus autem & hunc, & illos destruet.* Ad Corinth. epist. 2. cap 4. *Semper mortificationem Iesu in Corpore circumferentes, vt & vita Iesu in corpore nostro manifestetur.* vers. 16. *Propterea non deficimus, sed etiamsi exterior homo noster corrumpatur, tamen internus renouatur de die in diem.* Cor. 1. cap. 15. v. 50. *Hoc autem dico fratres, quia caro, & sanguis regnum Dei possidere non possunt, neq;: corruptio incorruptionem.* Et rursus, vers. 58. *Itaque fratres mei dilecti stabiles estote, immoti, abundantes in opere Domini semper, scientes quòd labor vester non est inanis in Domino.* Ad 2. Cor. cap. 7. vers. 9. *Nunc gaudeo, non quia contristati estis, sed quia contristati estis ad pœnitentiam: contristati enim fuistis secundùm Deum: tristitia enim, quæ est secundùm Deum, operatur pœnitentiam ad salutem.* Ad 1. Cor. cap. 10. v. 7. *Sedit Populus ad edendum, ac bibendum, & surrexit ad ludendum.* ver. 10. *Neq; murmurate sicut quidam eorum murmurauerunt, & perierunt ab Exterminatore:* v. 11. *Hæc omnia typicè eueniebant ijs scripta verò sunt ad nostram institutionem, in quos fines seculorum deuenerunt:* vers. 13. *Fidelis autem est Deus, qui non sinet vos tentari supra id, quod potestis, sed faciet cum tentatione etiam euasionem, vt possitis ferre.* Ad 1. Cor. cap. 9. v. 25. *Omnis autem qui contendit in Agone in omnibus est continens:* Hoc est, semper, & ab omnibus contrarijs abstinet: ergò Monachi vxores non habent: propterea licet illis abstinere & à carne, sicut abstinent, & ab vxoribus, vt non lætetur guttur eorum: & sic impletur ab illis dictum illud, *Quòd omnis in Agone con-*

tendens in omnibus sit continens. vers. 27. *Sed castigo corpus meum, & in seruitutem redigo; ne fortè cùm alijs prædicauerim, ipse reprobus fiam.*

Interpretatio.

Hoc verbum, *castigo corpus meum*, significat *Paulum* multùm ieiunâsse, & ieiunando corpus suum subegisse.

Synodus Gangrensis. Canon 9.

Quicunq; virginis vitam sectatur, aut continenter viuit, quia detestatur nuptias, & non propter hoc, quòd bona, & sancta res sit virginitas, Anathema sit.

Eiusdem Synodi. Can. 19.

Siquis eorũ, qui continentiæ studeut, absq; necessitate corporeâ, publicè tradita ieiunia, & ab ecclesiâ custodita superbiendo dissoluat stimulo suæ cogitationis impulsus, Anathema sit.

Eiusdem Synodi. Canon 10.

Siquis ex his, qui virginitatem propter Dominum seruant, extollitur aduersus coniugatos, Anathema sit.

Vniuersalis Synodus Chalcedonensis, Canon 1.

Regulas sanctorum patrum per singula nunc vsq; Concilia constitutas proprium robur obtinere decreuimus.

Exercitationes Magni Basilij. Cap. 25.

Sed quamuis hoc salsamentarium à sanctis patribus ita institutum fuerit, si tamen alicuius alterius edulij frustulum cibis illis inijciatur, commixtumq; sit cum reliquis edulijs, vel cum aqua vel oleribus, non recedat tamen superstitiosus aliquis à reliquo cibo, vt carnem fugiens, Illud dicit (*vt carnem fugiens*) quia erat mos ratus in temporibus magni *Basilij*, vt à carne abstinerent Monachi.

Paul: ad Rom. Cap. 14.

Qui edit non contemnat eum, qui non edit; & qui non edit edentem non iudicet. Edens Domino edit: nam gratias agit Deo: Et non edens Domino non edit, & gratias agit Deo. Non enim regnum Dei est cibus, & potus, sed iustitia, & pax, & gaudium in spiritu sancto, qui enim in his Christo seruit Deo bene placet, & bene audit apud homines.

1. *Cor. Cap. 6.*

Omnia mihi sunt licita, sed omnia non sunt commoda: omnia mihi licita sunt, sed sub alicuius potestatem nolo redigi: Edulia ventri, & venter edulijs seruit; sed & hunc, & illa destruet Deus.

Concil. gen. 6. Canon. 4. Quod non oporteat Monachum post vocationem vxorem ducere.

Monachus in fornicatione deprehensus, vel vxorem ducens fornicantium supplicio iuxta Canones subijcietur.

Concil. Gang. Canon. 18.

Si quis Exercitantium dictorum Eremitarum sine corporali necessitate superbiat, & publicè tradita ieiunia, & obseruata ab ecclesia dissoluat stimulo suæ cogitationis impulsus, Anathema esto.

Interpretatio.

Hic Canon statutus est de Exercitatoribus, & Monachis non edentibus carnem, & de Laicis. Duobus autem modis oportet nos intelligere: Primo modo quòd debeant Laici obseruare tradita ieiunia ab ecclesia: Secundo modo quòd debeant & Monachi, & exercitantes isti obseruare illa ieiunia, & abstinere à carne: quoniam ordinatum est à generalibus Concilijs sicut & Laicis statutum est ieiunare in Quadragesimis: Quâ de causâ si monachus edat carnem in illis ieiunijs, bis pronunciatur Anathema: primò quòd legem patrum contemneret: secundò quòd leges ecclesiæ conculcaret: & ob hæc, quæ prædicta sunt, videtur Deo placere, vt Monachi fiant, & abstineant à carne, vt hoc modo moriantur morte voluntariâ, ieiunantes, vigilantes, orantes, & lugentes pro peccatis suis: (secundùm Prophetam Ioel. cap. 2. *Nunc dicit Dominus, Conuertimini ad me ex toto corde vestro in ieiunio, & sacco, & fletu, & planctu, & dirumpite corda vestra:* & rursus, *Sanctificate ieiunia*) vt animæ ipsorum non fiant ferinæ, quoniam anima hominis, si sæpe morem gerat voluntati carnis, fit ferina, & non curat res Dei, sed vnà cum carne pugnat contra mandata Dei more ferino.

Obiectio.

Sed fortasse dixerit quispiam dictum esse à Ioel. Prophetâ ieiunia tum fieri debere, cùm versentur homines in periculis, & non semper.

Solutio.

Diabolus, qui accusat nos, noctu & interdiu nos coram Deo accusare non cessat: sicut Ioan. in Apoc. cap. 22. *Deiectus est in terram accusator fratrum nostrorum, qui accusat eos coram Deo nostro noctu, & interdiu.*

Obiectio.

Siquis autem dicat, *Ioan.* hęc dixisse hyperbolicè: (*Solut.*) audiat dictum Domini, c. 14. secundùm Mar. v. 38. *Vigilate, & orate ne introeatis in tentationem:* & rursus secundùm Mat. 24. 42. *Vigilate igitur, quia nescitis quâ horâ Dominus vester venturus sit,* & hac de causâ Monachi non secus à carne atq; à nuptijs abstinere tenentur, vt non patiantur se tentari à corporis passionibus, sed moriantur morte voluntariâ, sicut prædictum est.

CAP. 42.

De lege Dei.

OBtemperant etiam Græci legi diuinæ valdè diligenter: cùm igitur dicat dominus, *Remittite, & remittetur vobis:* condonant peccata inimicis suis: dicit autem vnusquisq; sigillatim huiusmodi verba, Ignosco ex animo inimicis meis, vt mihi etiam vicissim ignoscat Deus. Parant etiam & legibus sanctorũ Apostolorum verbi gratiâ, vbi dicit Paulus, *Omnis anima superioribus potestatibus subijciatur: non est enim potestas nisi à Deo,* & sic in cæteris. Obediunt etiam & patrum legibus diligenter, secundùm leges Dei traditis, eò quòd dicat Dominus ad Hebręos, *Patres vestri custodiebant traditiones: Patrũ plùs quàm legem Dei.* Hîc apparet quòd Christus non accuset Hebræos, quòd traditiones Patrũ seruarent; sed quòd legẽ Dei spernerent, & solùm traditiones Patrum obseruarent. Et rursus quia dicit Paulus ad Titum, *Huius rei gratiâ reliqui te*

Cre-

Cretæ, vt, quæ desunt, corrigas, & Presbyteros in singulis ciuitatibus constituas, Et rursus, *Vobis congregatis, & spiritu meo, tradite istum Satanæ:* & rursus: *Aspere reprehende.* Et quoniam filij Græci sunt illorum Ecclesiasticorum patrum, vitandę maledictionis causâ, (quæ contra illos, qui parentibus maledicunt, pronunciatur his verbis: *Qui maledicit Patri, & Matri, morte moriatur,*) summâ cum obseruantiâ se gerunt erga patres. Et sic duabus legibus morem gerunt, legi spontaneæ mortis, de quâ diximus, & legi Diuinæ. Deo autem gratiæ.

CAP. 43.

Quo tempore Græci obseruant Pascha.

INsuper item Græci agunt festum Paschatis iuxta antiquũ institutum his de causis: Primò, vt neq; ante Iudæos, neq; cum Iudæis festum celebrent, quemadmodum contingit aliquando vt novum Pascha à Latinis celebretur ante Iudæos, aliquando verò vnà cum Iudeis. Secundò, quia sancta Synodus Nicena prima illa, & vniuersalis dicit, *Si quis ante Iudæos, vel vnà cum Iudæis celebret Pascha, excommunicetur.* Tertiò, quia prope Nilum fluuium, & vrbem Cairum fit magnũ portentum, terrâ ejiciente cadauera: (incipit autem regio illa emittere cadauera Magno die Iouis ante Pascha quo die Christus mysticam cœnam fecit) emittit autem cadauera quotidie vsq; ad diem Ascensionis, id est, diem in quo Christus ascendit ad Cœlos, viz. ad diem 40. post Pascha, neq; post diem 40. amplius emittit cadauera: Hoc autem portentum tam Turcæ, quàm Græci mercatores cõmemorant, quotquot ex illis locis in Græciam veniunt: sicut testantur & alij, qui sepulchri Christi adorandi gratiâ se Hierosolymã conferunt, & postea adeunt illum locum, vbi cadauera ejiciuntur è terrâ, videndi miraculi gratiâ: fit autem hoc miraculum secundùm numerum veteris Paschatis. Statuebant aliquando Græci 20. ab hinc annis agere Pascha secundùm nouum numerũ, sed neutiquam emittebantur cadauera iuxta id tempus: neq; etiam illuxit sanctum lumen, vt solet quot-

annis illucere in ſacro ſepulchro Chriſti ſecundum antiquũ tempus Paſchatis: Tunc Græci quieſcebant vſque ad antiquum tempus Paſchatis, ſecundum quod tempus illuxit ſanctum lumen in ſepulchro Chriſti, ſicut ſolebat quotannis: & eructauit etiam terra iuxta Nilum cadauera: Atq; tum Græci egerunt Paſcha, dicentes: Ecce Deus demonſtrat nobis verum tempus Paſchatis, neq; curæ nobis eſt ſapientia humana. De his cadaueribus pulchrè prædixit Eſaias, cap. 66. dicens: *Et ego venio ad congregandas omnes gentes, & linguas, & venient & videbunt gloriam meam.* Qualem autem glorium videbunt Gentes? Chriſtus ſtatim poſt 40. dies aſcendit ad Cœlos: Omnino de ſpiritu ſancto in Pentecoſte, & de ſancta luce venturâ quotannis è ſacro ſepulcho, inventaq; Hieroſolymis cruce loquitur Propheta. De cruce quidem loquitur: *Et relinquam illis ſignum*, id eſt, Crucem Domini inuentam Hieroſolymis: de qua loquitur Dauid, *Adorate ſcabellum pedum ipſius quia ſanctum eſt: Moſes*, & *Aaron* invocabant Dominum, & Dominus reſpondebat illis è columnâ nubis. Ibi loquebatur è nube: hîc Chriſtus ſanctificat nos cum Cruce ſuâ, vt loquitur *Dauid*, *Fac mecum ſignum in bonum; & videant inimici mei:* (id eſt dæmones,) *& confundantur.* Et in Sap. Sol. cap. 14. *Benedictum eſt lignum per quod fit iuſtitia.* Et rurſus Eſaias Cap. 60. oſtendit ex quibus lignis facta ſit Crux, (*Sicut Chryſoſtom. ait in concione de adoratione Crucis*) dicens, *ex cupreſſo, picea, & cedro* ſimul, ad ſanctum locum meũ glorificandum, i. ſepulchrum, & vnamquamq; Eccleſiam. Et rurſus *Dauid* dicit, *dediſti ſignum timentibus nomen tuum, vt fugiant à facie arcûs*, id eſt, à laqueis diaboli; *ſignum*, crux ipſa. Prætereà, ſi liceat, paucis narrabo ſententiam Græcorum, qui nunc dierum viuunt: Græci dicunt crucem eſſe ſceptrum, & gladium ancipitem Chriſti; & ſicut miles cum gladio pugnat, & vincit hoſtes ſuos, ſic etiam Chriſtus eò quòd crucifixus fuit vicit diabolum: potuit etiam ſine cruce hominem ſeruâſſe, & viciſſe diabolum; ſed noluit, quoniam non ita viſum ipſi fuit: ſed ſicut quando magnus rex ad bellum ſe confert, præmittit ſcep-

trum ſuum, milites ſuos armis validiſſimis munit, vt poſſint contra ſuos hoſtes pugnare, & vt populus cognoſcat, quod rex venit: vnde fieri ſolet vt regis gloria in omnium ore verſetur, antequam in illum locum acceſſerit, in quem ſceptrum præmiſſum fuit: eodem planè modo etiam dominus noſter Ieſus Chriſtus facit, nos Chriſtianos cruce ſuâ armatos defendit, quæ quidem crux ſignificat paſſionem Chriſti, & vbicunq; apparet crux habens hunc titulum inſcriptum, *Ieſus Chriſtus vincit*, prædicatur & laudatur Chriſtus: non omnis autem crux, aut res cruci ſimilis dicitur crux Chriſti; ſed quæ inſignitur hoc titulo, *Ieſus Chriſtus vincit*; illa dicitur crux Chriſti; ſiue ex argento fiat, ſiue ex metallis, ſiue ex ligno, hæ literæ conſecrant crucem illam Chriſto: cùm crux illa nimirum ſignificet, quòd Chriſtus pro peccatis noſtris crucifixus eſt, & inimicos vicit: idcircò Dauid dicit, *Domine in lumine tuo videbimus lumen:* lumen Patris eſt Filius, lumen Filij crux eſt, vt interpretatur diuinus *Chryſoſtomus* in doctrinâ de adoratione crucis: ſed ad propoſitum reuertamur. Sicut Moſes virgâ ſuâ omnia miracula fecit, potuit autem Deus ſine virga feciſſe omnia illa miracula, ſed noluit: ſic & Chriſtus dedit Chriſtianis crucem pro virga Moſis: & ſicut Hebræi ſerpentem intuiti ſunt, & ſanati ſunt, ſic etiam Chriſtiani videntes crucem, (quę ſignificat crucifixum Chriſtum) vel facientes imaginem crucis in frontibus ſuis, ſanantur: vt priùs interpretati ſumus, cùm diximus, quòd cùm ad eccleſiam ſe conferunt, & in eâ ſtant ſuo quiſq; ordine, & coniungunt tres digitos, &c. fugit ab ijs diabolus. Et Eliſæus, poſtquam *Elias* in cœlum receptus fuit, reuerſus eſt vt pertranſiret *Iordanem*, & Deum orauit, vt *Iordanes* diuideretur, at non diuiſus fuit: tum verò *Eliſæus Iordanem* ouinâ pelle *Eliæ* percuſſit, dicens: *Vbi eſt Deus Eliæ patris mei?* & tunc ſtatim ſciſſus eſt Iordanes: ecce quomodo priùs ſine ouina pelle preces fudit, ſed Deus illum non exaudiuit; ſed cum pelle ouina Deus eum exaudiuit, & Iordanes ſciſſus eſt: ſic etiam (vti dicunt Græci) cum nos facimus crucis effigiem, nos Deus audit: ſiue baptizamur, ſiue ſacra facimus, ſiue

oramus

oramus, semper cũ cruce & cum figurà crucis facimus omnia, quęcunq; facimus vt etiam ad hunc diẽ vident mysteria, cùm faciunt figuram crucis. Mos hic itaq; inoleuit apud sapientiores Monachos, cùm Diabolus malas cogitationes ijs suggerit siue cubantibus, siue ambulantibus, siue stantibus, vt vel adulterium, vel alia mala cogitata perpetrent; statim efficiunt signum crucis, dicentes: *Domine Iesu Christi, fili, & verbum Patris libera me ab hac tentatione:* & si hoc cum fide dixerit, & fecerit, statim (vti dicunt) obliuiscitur malam cogitationem illam, & animus eius ad bonas meditationes conuertitur: nam siquidem studiosus est, mens eius ad Theologiam conuertitur ad diuina negotia, & sic à malis cogitationibus liberantur Monachi. Sin verò noluerit efficere signum Crucis, existimans, quòd crux nihil omnino habeat efficaciæ, semper nouis tentationibus ad malum instigatur. Et cum opportunitatem nactus fuerit, quod priùs animo cogitabat malum perpetrat: ideoq; rectè dicit Esaias de Christo: *Relinquam signum super eos*, id est, Christus crucem reliquit Apostolis suis, & credentibus in nomen ipsius: sicut à Dauide dictum est, *Dedisti signum timentibus nomen tuum, vt fugiant à facie arcûs*, id est, à mala Diaboli suggestione.

Obiectio.

Sed dicet aliquis: quare Deus audiuit Manassem regem Hebræorum, cum Babylonij eum constrictum in æreum bouem coniecerunt, ita vt non posset genu flectere?

Solutio.

Si quis hæc obijciat: Audiat Paulum dicentem: *Si quis dixerit, Hoc idolis immolatum est, ne comedite: eò quòd ille significauerit:* ita se res habet de figura Crucis. Antequam ab Ecclesiâ crux prædicaretur non erat necesse facere aut crucem, aut crucis imaginem: sed postquam ab ecclesiâ sanctâ esset predicata, necesse fuit (vt Græci asserunt) adhibere signum crucis, quoniam crux est Christi armatura, quâ diabolicum vicit: & nos etiam armauit hac eâdem cruce: & ita Græci pene omnes de cruce sentiunt. Hæc autem sint ne Scripturæ normæ consentanea nec ne iudicent literati. De A-

postolis

postolis autem dicit *Esaias: mittam ex illis quosdam electos ad gentes.* Hic apertè loquitur de Sanctâ luce, & cruce Hierosolymis inuentâ: *veniet omnis caro ad adorandum coram me Hierosolymis*, dicit Dominus. Gentes autem tempore Apostolorũ die Pentecostes non venerunt, Deum adorandi causâ, Hierosolymã, sed vt tutæ essent à bello, vt apparet ex Historijs: Posteà autem venerunt, & ad hodiernum vsq; diem veniunt semel quotannis gratiâ crucis sanctæ adorandę, & videndi sacri luminis, & sacri sepulchri Christi. Testatur Esaias. cap. 66. *Ecce veniet omnis Caro ad adorandum coram me:* Illi prædicti in tempore venerunt vt belli periculum effugerent: Hi autem venerunt, & adhuc veniunt adorandi causâ. De visione autem cadauerum loquitur Esaias. 66. cap. *Et venient, & videbunt membra hominum peccantium contra me: vermis enim eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur, & erunt in spectaculum omni carni.*

CAP. 44.

De vita Patriarchæ, & maximorum Sacerdotum.

PAtriarcha *Constantinopoleos* nunc dierum habet sub se septuaginta quatuor metropoleon præfectos; Sunt autem plures quàm triginta ex illis præfectis, qui non habent sub se Episcopos: Ex ijs autem qui habent Episcopos: hic vnum habet, ille duos, ille autem tres, &c. Omnes autem Episcopi sunt septuaginta duo, vel septuaginta tres. Omnes autem Episcopi, & Metropoleon Præfecti fiunt pene centum Quinquaginta. Habet autem Patriarcha Constantinopoleos sedem propriam tantùm Constantinopolin. Habet autem ad victum proprium ex illâ ciuitate vnum aureum in singulis nuptijs. Et ex omni suijpsius prouinciâ semel in tribus annis 10. denarios ex omni domo; *viz.* ex vnaquaq; prouinciâ Præfectorum, qui illas Metropoleis sibi subiectas habent: similiter & habet donum aliquod minusculum à Diaconis, & Sacerdotibus quando illos gradu Diaconali, vel

Sacerdotali donauerit: Similiter & omnis Sacerdos in illa ciuitate vnoquoq; anno dat vnum aureum Patriarchæ. Cùm moriantur autem diuites Christiani relinquunt Ecclesiæ Patriarchæ illius: hic domos, ille agros: hic oues, ille diuitias, & eiusmodi plurima. Et omnis Metropoleos Præfectus, & Archiepiscopus, quando gradu donati fuerint à Patriarcha, eidem dant parvum aliquod donum: Et vnusquisq; Metropoleos Præfectus vnoquoq; anno dat Patriarchæ: hic viginti minas, ille triginta: hic viginti quinq; propter tributum regis. Ex quibus opibus Patriarcha dat Regi sex millia aureorum per annum omnium summorum Sacerdotum nomine: vt Turcorum rex faciat potestatem Patriarchæ manendi in Constantinopoli, & Metropolitanis, Archiepiscopis, & Episcopis Græcis in toto regno suo; & colendi Religionem Christianam. Ministri autem Patriarchæ, & summorum sacerdotum omnium monachi sunt, quoniam non licet Laico ministrare summo sacerdoti. Edunt autem panem Patriarchæ septemdecim, pluresue sacerdotes, & ministri. Habet quidem duos Capellanos, duos Diaconos, dispensatorem rei domesticæ, Sacellarium, id est sacrorum custodem, duos Psaltas, (id est, cantatores) vnum Ianitorem, Custodem equorum vnum: & ex duobus illis Capellanis prædictis fit & magnus Protosyncelus, & paruus syncelus, id est, qui sigillum seruant Patriarchæ. Habet autem tres, vel quatuor qui ducant homines ad Patriarchę Curiam, & alios habet quosdam. Vnoquoq; autem die Patriarcha Præfectis Regis, & Ianisarijs multum cibum, & pecuniam, cæteraq; huiusmodi, quæ omnia recensere non possum, singulis diebus largitur.

CAP. 45.

De Metropolitanis, & Archiepiscopis.

SImiliter vnusquisque Metropolitanus, & Archiepiscopus habet propriam ciuitatem: hi autem paruum munus accipiunt

piunt propter electionem Episcoporum. Similiter quotannis accipiunt ab vnoquoque Episcopo, vel viginti, vel quindecim, vel decem minas. Præterea ab Hiero-diaconis, & Sacerdotibus paruo aliquo munere compensantur ob impositionem manuum. Præterea quotannis vnusquisque Sacerdos dat vnum aureum nummum vel Metropolitano, vel Archiepiscopo: Sumunt pariter propter singulas nuptias aureum nummum; & eleemosynas à mortuis ob sepulturam: sicut dictum est de Patriarcha. Porro, quotannis ex omnibus familijs in ciuitate sumunt vnum frumenti modium, & vinum, & oleum, & byssum, & ex his omnibus viuunt Metropolitani.

CAP. 46.

De Episcopis.

EOdem planè modo Episcopi munusculum quoddam ab Hiero-diaconis accipiunt, & Sacerdotibus, ob impositionem manuum: accipiunt etiam per annum ab vnoquoque sacerdote vnum aureum nummum, tantum etiam ob singulas nuptias, tantum ex omni prouincia, cui præsunt: consimiliter quotannis Episcopus sumit modium frumenti, partem vini, & olei, & byssi ex omni familia in ijs prouincijs quibus præest.

CAP. 47.

De Sacerdotibus.

SAcerdotes autem quidam viuunt ex abundantia Ecclesiæ, id est, quædam Ecclesiæ habent agros, & vineas, domos, & alia huiusmodi, & ex his viuunt sacerdotes: si quando autem ecclesia bonorum copiâ non circumfluit, donant sacerdotes vnico modio frumenti quotannis singuli patresfamilias (modius autem significat tertiam partem oneris vnius equi). Præterea Græci habent per annum triginta sex dies festos, quorum duodecim vocantur dominicales,

id est, ad Christum, & beatam virginem pertinentes: reliqui autem vigiati quatuor sunt Ioannis Prodromi, sanctorum Apostolorum, & magnorum martyrum: In omnibus autem hisce diebus festis, & in vnoquoque die dominico debet Sacerdos sacra facere, id est, administrare Cœnam Domini: & vnaquęq; familia dat sacerdoti duos denarios, & ille preces pro singulis donantibus fundit sigillatim, antequã incipiat sacra facere. Præterea in hisce diebus festis Græci hospitio multos peregrinos excipiũt: quandoq; enim in vnâ villâ quinque aut sex conuiuia faciunt, & sacerdos debet interesse omni conuiuio, & illis opsonijs, quæ apponuntur, benedicere: & sic dant sacerdoti panes, carnes, vinum, pecuniam, & alia nonnulla, quæ vniuersæ ipsius familiæ sufficiant per totam septimanam, & ex his est prouentus Sacerdotum.

CAP. 48.

De Laicis qui cupiunt fieri Hiero-Diaconi.

Præterea, habitantes in Ciuitatibus, & regionibus Græcorum si fieri velint Hiero-Diaconi, priùs necesse est vt ducant vxores: & deinceps Episcopi illos creant Hiero-diaconos. Siquis autem noluerit vxorem ducere, oportet hunc priùs fieri Monachum, & tunc Episcopi suffragijs suis eligunt eum Hierodi-aconum Monachalem, & non licet illi postea vxorem ducere, quoniam Episcopi illum segregarunt.

CAP. 49.

Quomodo dormiunt Monachi.

PRæterea, Monachi semper cincti dormiunt cum indusio: eodem modo & Laici cum vxoribus semper cum indusijs dormiunt: propterea quòd dicat Paulus: *Volo habentes vxores esse tanquam non habentes, & non habentes tanquam habentes.* Et hæc de Græcorum institutis dicta sufficiant.

Vtiq;

VTiq; testimonium historiographi, qui proprijs oculis vidit quæ scripsit, fide dignissimum est: sicut & ego ante annos abhinc 35. proprijs oculis vidi, quod nunc aggredior enarrare. Erat aliquando Christianus quidam Dęmoniacus in regione quadam Græciæ iuxta magnũ monasterium; hunc autẽ ducebant amici ad dictum Monasteriũ. Sacerdotes autem Monasterij Dæmoniacum ligatum catenis ferreis affixerunt columnæ magnæ in ecclesia, prope locum vbi celebrant sacra: & priùs ieiunantes (hoc est interdiu nec prandent, nec cœnant, sed tantùm vesperi propterea quòd oporteat interdiu ieiunãtes legere Euangelia; vt dicit Dominus, Hoc Dæmonium non ejicitur nisi per orationes, & ieiunia) constiterunt coram Dæmoniaco, & legerunt singuli per sex horas partem quatuor Euangeliorum. Die sequenti alij Sacerdotes ieiunant vt incipiant post meridiem legere reliquam partem Euangeliorum; Similiter die tertio; quoniam vix illo die perlegere possunt quatuor Euangelia. Huic spectaculo ego ipse interfui, expectans vnà cum alijs euentum. Dæmoniacus autem magnâ voce varias emisit blasphemias in Deum, & homines, quas non ausim recitare propter reuerentiam Dei: dein os eius maximè obtortum, & terribile apparuit adeò vt me in fugam ageret. Sacerdotes autem nihil respondentes placidè legerunr Euangelia, induti vestimentis Sacerdotalibus, vsq; dum perlegissent quatuor Euangelia (singuli legebant partem Euangelij, & quoties vnus partem perlegerat, protinus alius succedebat, verba prioris excipiens ab ore eius.) Postquam igitur perlecta sunt quatuor Euangelia: tum communi consensu constituerunt syncerioreẽ, & sanctiorem sacerdotem, qui recitaret exorcismos Basilij Magni: Dæmoniacus autem maledixit Sacerdoti; ille tamen increpauit Dæmoniũ; quod tandem conturbato homine exijt, dimittens illum quasi mortuum. Statim Sacerdotes porrigebant Dęmoniaco panem, & aquã, qui comêdit, & in pace contulit se ad proprium domicilium. Quem ego ipse rursus, postquam è Monasterio decessit, conspexi sanum. Quare necessarium duxi, vt & hoc etiam inter alia Dominis meis notum facerem.

FINIS.

Errata sic corrigito.

Pag. 4. *Lin.* 33. *post* verò *lege* non. 6. *lin.* 7. *lege* accipiebat. 31. *lin. lege* Primates. 7. 10. *post* propter *lege* crucifixionem Christi, &, *& quæ sequuntur.* 8. 18. *lege* loqueretur. 10. 1. *lege* Iudicij. 12. *lege* calumniari. 11. 17. *lege* cerasa arida. 13. 11. *lege* Benedictà. 18. 29. *lege* veniunt. 19. 28. *pro* infra *lege* erga. 20. 34. *lege* Niceni. 23. 8. 9. *lege* consistat. 25. 10. *lege* quadringentos. 27. 31. *lege* brutorum. 29. 20. Cerasa. 21. Cerasa. 30. 21. *post* Monachi, *l.* & neminem iudicant, &c. 24. *post* immundos *lege* similes ranis, *&c.* 32. 10. *lege* lectum. 41. 27. *lege* parent.

Christophorus Angelus Græcus Lectori.

ERrata signa alia, quæ certè plurima sint necesse est, (Amice Lector) tibi inter legendum occurrant: ea tu pro tuo arbitrio corrigas velim, propterea quod egò linguam Latinam minimè callerem, eaq; de causâ errata non pauca ignarus præterirem.